DE VENERIS SIMULACRIS ROMANIS

Georg Wissowa



DE

VENERIS SIMULACRIS ROMANIS

COMMENTATIO PHILOLOGICA ET ARCHAEOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
VENIAM DOCENDI RITE INPETRANDAM
DIE I. M. IULII A. MDCCCLXXXII HORA XII
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS WISSOWA
VRATISLAVIENSIS

ADVERSARII ERUNT
PAULUS WELZEL DR. PHIL.
LEOPOLDUS COHN DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNERUM
MDCCCLXXXII

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM

Studia ad Romanorum ueterum religionem cultumque diuinum pertinentia cum diu aut prorsus neglecta iacuerint aut ita tantum fuerint instituta, ut uetusta recentia, Graeca Romana, fabulae antiquae religionis plenae uilissima grammaticorum commenta commiscerentur omnia, nostra demum memoria ita tractari coepta sunt, ut fundamentis in uniuersum iactis firmo stabilique solo innisi ad quaestiones subtiliores soluendas adgredi possimus. atque cum duo quidem his studiis proposita esse nunc sit perspectum, alterum ut inuestigetur qualis fuerit Romanorum religio publice constituta quasque subierit mutationes, alterum ut e fabulis deorum uetustis obseruationisque antiquae formulis singulorum deorum natura atque indoles enucleetur, hoc recte absolui uix potuerit nisi illo ad iustum finem perducto. sed in examinanda publica Romanorum religione aequo magis a uiris doctis scriptorum titulorumque testimonia cum omni cura pensitantibus neglegi solet tertium fontium genus, dico artis monumenta, quae dummodo recte interpreteris minime sunt inferioris pretii, quae ad condendam religionis Romanae historiam ample primus aduocauit quoque modo adhibenda sint luculentis exemplis demonstrauit is, qui mihi quoque horum studiorum auctor suasorque fuit, Augustus Reifferscheid. itaque cum nemini ignotum sit uetustissima deorum sigilla arte Italica confecta mox insinuante sese Romanis circa belli Hannibalici tempora Graecorum et religione et arte adeo obsoleuisse, ut vix tenuissima eorum supersit memoria, in eorumque locum successisse deorum imagines a Graecis artificibus constitutas, tamen in his recipiendis minime ita proprio sensu Romani caruisse putandi sunt, quin etiam in simulacris Graeca arte confectis suorum deorum, siquidem aliquantum a Graecis differebant, indolem indicare curauerint. quod cum maxime inde patet, quod etiam eorum deorum, quibus in Graeca religione non erat quod responderet, imagines Romani e simulacris Graecis, quibus cognatae naturae numina repraesentabantur, expresserunt, ut

Lares P. R. praestites ad Castoris ac Pollucis, Virtutem deamque Romam ad Amazonum Palladisue, Siluanum — additis dei rustici signis — ad Iouis similitudinem finxerunt aliaque id genus plura.[1]) quodsi igitur in uniuersum ita egisse Romani putandi sunt, ut e compluribus eiusdem dei imaginibus Graecis eas elegerint, quae ipsorum religioni maxime conueniebant, easque, si e re esse uidebatur, adhibitis mutationibus usui suo adcommodauerint, haud paruae utilitatis esse uidetur quaerere, qualia singulorum deorum simulacra Romani publica obseruatione coluerint, eaque disquisitio sic erit instituenda, ut ex temporum ordine quae de cuiusque dei obseruatione templisque traduntur examinentur conlatisque monumentis ad eandem aetatem spectantibus ita inlustrentur, ut et singulorum deorum indolem et Romanorum in dis uenerandis morem planius perspiciamus. qua ratione cum de Veneris simulacris Romanis quaerere constituerim prouinciam me suscepisse et spinosam neque nimis fecundam non me fugit. sunt enim in tanta subsidiorum tenuitate nonnulla, quae sciri omnino nequeant: quod qui non intellexerunt uanas illas friuolasque coniecturas exprompserunt, in quibus refellendis haud parua huius commentationis pars uersatur: ipse ne iure temeritatis incuser sedulo caui. monumentorum uero nullum genus saepius erat arcessendum, quam nummi populi Romani, quorum imagines adeo non solent curari ab artis interpretibus, ut ne de certis quidem earum adhibendarum legibus conueniat; quo accedit quod, cum maioris nummorum conlectionis usu carerem, multos nummos e solis aliorum descriptionibus cognitos habui, perpaucos ipse oculis usurpaui, ita ut, quamquam numquam mihi defuit amicorum meliore condicione utentium officiosa uoluntas, hac in re me nonnulla aliis corrigenda reliquisse fere certum sit. cum tamen haud ita paucis locis etsi non uera tamen aliis ueriora indagasse symbolamque conferre posse mihi uisus sim ad Veneris religionem Romanam recte intellegendam, libellum edidi: quod num recte fecerim candidi iudices uideant.

I Cum ea sit religionis Romanae condicio, ut ueteres Italorum di indigenae primis saeculis a Romanis obseruati mox receptis in urbem Graecorum numinibus his aut omnino cesserint aut ita cum iis sint commixti, ut ueterum deorum praecipuae,

---

[1]) cf. A. Reifferscheid, Annali 1866, 210 sqq. H. Jordan, Annali 1872, 54 sq.

ut ita dicam, uirtutes in Graecorum numinum naturam atque imaginem reciperentur, nobis, quibus de uetustissimo Veneris cultu Romano paucis praemonendum sit, haec prima oboritur quaestio, quid sit in Veneris religione antiquum atque Italicis superstitionibus constitutum, quid Graecorum auctoritati debeatur. atque proficiscendum est a Cinci et Varronis testimonio luculentissimo, qui sub regibus nullum exstitisse Veneris uomen neque usquam occurrere in sacris carminibus testantur, simul addentes per totum mensem Aprilem, quem posteri Veneri sacrum putabant, nullum eius deae diem festum aut sacrificium insigne in fastis antiquioribus reperiri.[1]) sed nomen tantum, non ipsam deam ab antiquissimis urbis temporibus alienum fuisse conuenit inter scriptores ueteres, cum Murciam Cluacinam Libitinam deas iam sub regibus obseruatas Veneris posterioris aeui adeo fuisse consimiles testentur, ut postea et ipsae Veneris nomen induerint. quibus non est cur fidem abrogemus, quamquam de Murciae Cluacinaeque indole nihil constat; nam ueterum etymologiis commentisque inde deductis quicquam tribuere non par est. hoc unum certissimum est, utriusque deae religionem inter antiquissimas fuisse. Cluacinae enim cultus ad Romulum et Titum Tatium reges refertur[2]), Murciae uero sacellum, quod erat in ualle inter Palatinum et Auentinum colles sita[3]), et ipsum uetustissimam sibi uindicat originem: nam etsi Liui I 33, 5 testimonio, qui ab Anco Marcio rege Latinis, ut iungeretur Palatio Auentinus, ad Murciae sedes datas esse narrat, non multum tribuerim, quippe quod fortasse etiam de loco ubi postea hoc sacellum fuerit intellegi possit, Murciae aedem ipso circo antiquiorem fuisse mihi inde uidetur elucere, quod non solum ipsa inferior circi pars ex hoc sacello 'ad Murciae' nomen traxit[4]) neque est ueri simile aedificium

---

[1]) Varro de l. l. VI 33. Macr. S. I 12, 12 sq. fallitur ergo L. Preller, Römische Mythologie [2] I 442, cum Kalendas Apriles antiquitus Veneri sacras fuisse adfirmat. cf. Macr. S. I 12, 15: 'non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent.'

[2]) testimonia quae sunt de Cluacinae cultu sacelloque prope comitium sito dabit W. A. Becker, Topographie p. 320 sq. conferatur praeterea August. c. d. IIII 23, VI 10.

[3]) Becker, Topographie p. 467 sq.

[4]) Varro l. l. V 154: 'intimus (infimus?) circus ad Murciae (ad Murcim codd., correxit H. Jordan, Topographie der Stadt Rom I 1 p. 194, 70) uocatur'; metae Murciae, quarum meminit Apul. met. VI 8, sunt meridionales

uetustius ex recentiore esse cognominatum. sed etiam hoc sacellum in ipsum circi ambitum fuisse receptum monumenta docent. nam in anaglypho Folignano, quo ludi circenses repraesentantur[1], aediculam in ima circi parte effictam Murciae esse probabili coniectura adsecutus est Carolus Zangemeister (l. c. p. 245 sq.) idemque demonstrauerunt imperatorum Romanorum nummi nuper ab Iulio Friedlaender editi et inlustrati[2]. in quibus hoc idem sacellum ipsis circi foris inclusum conspicitur. quod profecto aliter explicari nequit, nisi ut sacellum antiquitus in ualle postea circo destinata situm loco moueri ob religionem non potuisse atque ideo circum ei quasi circumdatum esse censeamus. simulacrum Murciae nullum commemoratur neque antiquitus imaginem deae tam uetustae exstitisse probabile est, cum ante Iouis Capitolini templum a priore Tarquinio constitutum nullam fuisse in urbe dei imaginem humana facie expressam inter scriptores ueteres conueniat[3], Murcia autem hoc sit antiquior. posteriore aeuo in Murciae sacello deae imaginem constitutam fuisse anaglyphum Folignanum docere uidetur, ubi intra aediculam feminae diuinae statua dinoscitur[4]; sed neque hanc ad ipsius simulacri similitudinem elaboratam esse in opere artis rudioris probabile est neque, si esset, quicquam inde de uetustioribus temporibus concludere liceret; itaque iudicio abstinere praestabit. infelicissima uero est A. Kluegmanni[5] suspicio, qui deam biga haedorum uectam, stola sceptroque insignem, qualis conspicitur in denariis antiquis C. Reni[6], Venerem Murciam interpretatur ad exemplum Ἀφροδίτης Graecorum ἐπιτραγίας confictam. ego quae ista dea

circi metae. ceterum conferatur elogium M'. Valeri Volusi f. Maximi (CIL I p. 284 elog. XXIII = Wilmanns 624. cf. Fest. p. 344), cui inter alios honores in circo locus spectandi causa datur 'ad Murciai'.

[1]) C. Zangemeister, Annali 1870, 232 sqq. tav. d'agg. L M.

[2]) Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften 1873, 65 sqq.

[3]) cf. D. Detlefsen, de arte Romanorum antiquissima, I (Glückstadt 1867) p. 3 sqq.

[4]) 'nel sacellum sta l'imagine vestita d'una dea non riconuscibile, colla destra in altro e la sinistra abbassata.' Zangemeister l. c. p. 245.

[5]) Zeitschr. f. Numism. V 67 sqq. deam, quae uulgo Iuno Caprotina intellegebatur, Venerem primus interpretatus erat L. Stephani CR 1869 p. 86, 6.

[6]) Cohen, méd. consul. pl. XXXVI Renia. cf. Th. Mommsen, Gesch. d. röm. Münzw. p. 519, 95. Zeitschr. f. Numism. II 37.

sit nescio, Murciam non esse probe scio: nam neque cum haedis quicquam est Murciae neque omnino fieri potuit, ut dea uetusta et singulariter Italica fingeretur sub imagine deae ab ipsis Graecis paucissimis tantum locis obseruatae.[1] itaque si omnino exstabat imago Murciae quomodo comparata fuerit ignoramus semperque, ut opinor, ignorabimus, cum ea aetate, quae numinum Romanorum imagines siue nummorum typis siue maioribus artis operibus expressas nobis tradidit, nullam iam fuisse Murciae uenerationem altum titulorum silentium doceat. quod idem in Cluacinam cadit. de Libitina denique dea paullo plura comperta habemus, cum sciamus funerum deam fuisse, quorum cura iam a Seruio Tullio rege ei inposita putabatur[2]; templum Libitinae antiquis temporibus nullum commemoratur, sed modo lucus, qui ubi situs fuerit in incerto est.[3] quo in luco cum Festus p. 265 testetur rusticorum Vinaliorum die Veneris aedem conditam esse, et adparet antiquitus Libitinam et Venerem diuersas fuisse deas et quomodo primum coniungi tum confundi coeptae sint perspicuum est. quo accedebant grammaticorum Libitinam a libidine deriuantium Graecamque Ἀφροδίτην ἐπιτυμβίαν comparantium studia[4], quibus effectum est, ut quasi una dea nominaretur Venus Libitina; neque tamen hoc neglegendum in monumentis publicis testimoniisque inde pendentibus nullam esse Veneris Libitinae mentionem, sed solius Libitinae, sicut in locutionibus 'lucus Libitinae, lucar Libitinae, ratio Libitinae, Libitina non sufficit' al. imaginem ullam Libitinae exstitisse neque compertum neque probabile est, cum ne de aede quidem quicquam tradatur. itaque ne refutatione quidem egere uidetur Bernoullii[5] opinio, qui Libitinae effigiem indagasse sibi uisus est in simulacris illis paruulis maioribus uulgo statuis pro fulcro additis, quae ostendunt

[1]) de Venere ἐπιτραγίᾳ uide quae congessit Stephani l. c. p. 84 sqq.

[2]) Dion. Hal. IIII 15.

[3]) in Esquilino monte situm fuisse suspicatur Becker, Topographie p. 537.

[4]) cf. Varro apud Non. p. 64 M. Plut. Numa 12, Q. R. 23. ceterum certum uidetur neque grammaticos ueteres neque uiros doctos nostrae aetatis satis discreuisse inter se Libitinam et Lubentiam siue Lubiam indigitamentorum deam. cf. Varro l. l. VI 47. Cic. n. d. II 61. Seru. Aen. I 720. Ambrosch, Ueber die Religionsbücher der Römer p. 18. Merkel, Prolegomena ad Ouid. Fast. p. CCXXXXVI.

[5]) Aphrodite. Ein Baustein zur griech. Kunstmythologie (Leipzig 1873) p. 67.

deam modio ornatam, tunica cincta longoque pallio inuolutam, altera manu uestimenti laciniam sustinentem, alteram in pectore conlocantem. quibus in imaginibus cum Eduardus Gerhard[1]) Veneris simul Proserpinaeque indicia repperisse sibi uisus esset, Bernoulli ex Italicis superstitionibus eas deriuandas censet et ad 'Veneris Libitinae' religionem referendas, quamuis neque in ipsis his statuis ullum insit Italicae originis uestigium[2]) neque in monumentis Romanis, in nummis praecipue, simile quicquam reperiatur. immo cum in Gerhardi commentatione multa nunc egeant emendatione, multa aperte falsa sint[3]), tamen hoc unum, quod ipsum Bernoulli negat, certissimum est, e Graeca religione harum statuarum interpretationem esse arcessendam recteque Gerhardum illam quae ipsi suborta erat de Libitina suspicionem abiecisse. quod iam inde patet quod de nonnullarum huius generis statuarum origine Graeca constat unaque[4]) inscriptione addita *Οὐρανία* uocatur; quam Bernoulli, ne a praeiudicata opinione abscedere cogatur, a reliquis separat, quamuis nulla re differat. iustam interpretationem quaerenti haec inscriptio uiam subindicet; sed hoc non est huius loci persequi.[5])

Itaque haec de uetustioribus deabus Italicis Veneri cognatis hactenus. iam ipsum Veneris nomen quando receptum sit adcurate definiri nequit, sed ne nimis recens esse arbitremur cauendum est: nam nisi diu ante Venerem graecanicam Romam translatam hoc nomen solitum fuisset atque inueteratum, cum ipsa dea nomen quoque Graecum *Ἀφροδίτης* Romani recepissent, ut receperunt Apollinis Bacchi Castorum aliorum. atque in fastis quidem primum Veneris templum[6]) conditum narratur anno

---

[1]) Hyperboreisch-römische Studien II 121 sqq.

[2]) consimilis indolis statuas paruulas in Campania repertas num recte F. de Duhn, Bulletino d. I. 1878, 20 sq. ad Cererem Italorum deam rettulerit, et ipsum ualde dubium est. mihi haec quoque Graeca esse uidentur simulacra.

[3]) ueluti quae de gemmarum imaginibus ad Libitinam referendis exposuit l. c. p. 182 sqq.

[4]) E. Huebner, Die antiken Bildwerke in Madrid No. 552. cf. Bernoulli l. c. p. 42 n. 8°.

[5]) recentiorum de his simulacris conamina conlegit F. Wieseler, Denkmaeler der alten Kunst [3] II p. 385.

[6]) quae de Venere Calua narrantur, cuius statuam alii iam Anci Marci regis temporibus, alii post Gallorum impetum repulsum dedicatam esse ferebant (Seru. Aen. I 720. Lact. inst. diu. I 20. cf. Jul. Capit. Maxim.

u. c. 459, de quo mox uerba faciemus. sed hoc uetustius illud alterum esse uidetur, quod modo commemoraui Festo auctore rusticorum Vinaliorum die h. e. XIIII Kal. Sept. in luco Libitinae conditum ferri; est enim haec Venus proprie Italica, in cuius potentia horti putabantur eamque ipsam ob causam Vinaliorum die festo colebatur.[1]) quod templum mox excipiebat altera illa quam modo dixi Veneris aedes a Q. Fabio Gurgite anno urbis 459 ex matronarum stupri damnatarum aere multaticio condita; Obsequentis cognomen deam gessisse auctor est Seruius.[2]) quam cum plerique graecanicam Venerem esse putent[3]), uereor ne errauerint; nihil enim est aut in ipsa dea aut in templi constitutione, quod Graecam originem arguat, nulla inprimis librorum Sibyllinorum consultatio; immo LXXVIII demum annis post Erucinae Veneris religio recipitur eamque fuisse primam Venerem graecam quae publice in urbe colebatur e tota de aede condita narratione patet. porro graecanicae Veneris dies festi mense Aprili celebrantur et Erucinae et Verticordiae, huic uero Veneri XIIII Kal. Sept. h. e. rusticorum Vinaliorum die sacrificabatur. ad hunc enim diem cum adnotent fasti Vallenses 'Veneri ad circum maximum' similiterque Festus p. 265 referat 'eodem autem die Veneri templa sunt consecrata, alterum ad circum maximum, alterum in luco Libitinensi, quia in eius tutela sunt horti', haec uulgo ad Murciam referuntur[4]). sed ad Obsequentem pertinere mihi persuasum est. nam Murciae sacellum multo uetustius esse

duo 33), his ut fabulosis omnem fidem recte abrogauit Detlefsen l. c. p. 5, 16; sunt enim mera grammaticorum *αὐτοσχεδιάσματα*, in quibus nil ueri nisi fuisse in urbe statuam caluam muliebrem, de qua nihil exploratum erat antiquariorumque acumini latissimus patebat campus. Venerem fuisse et incompertum et inprobabile. 'calua dea' tituli in Eiflia reperti (Henzen 5681 *εἰ γνήσιος*) num huc pertineat in incerto est.

[1]) Venerem in luco Libitinae cultam hortorum deam esse probe significat Festus p. 265 atque huic deae Vinalia celebrari praeter eundem p. 289 Varro de l. l. VI 20, de r. r. I 1, 6. de Venere hortorum conferas praeterea Plin. n. h. XVIIII 50 et titulos Pompeianum CIL IIII 2776 et Romanos tres Orelli 1369, CIL VI 122, Ephem. epigr. IIII 869.

[2]) Liu. X 31, 9. Seru. Aen. I 720. cf. Becker, Topographie p. 472. Obsequentis cognomen ab ipso aedis titulo dedicatorio afuisse, e Liui silentio intellegitur deberique videtur aut populi sermonibus aut grammaticorum argutiis; itaque caue ne ex cognomine de deae indole quicquam conligas.

[3]) Preller, Röm. Mythol. I 446. Th. Mommsen, Röm. Gesch. I 437.

[4]) Preller, Röm. Mythol. I 441, 3. Th. Mommsen, CIL I p. 399; uerum uidit Becker, Topographie p. 472.

uidetur. quam ut quo die conditum fuerit potuerit esse traditum: tum uero hanc aediculam non ad circum sed in circo dicendam fuisse monumenta declarant: porro non est uerisimile Murciam in monumentis publicis, quales sunt fasti, simpliciter Venerem nominari, quae ne 'Venus Murcia' quidem praeter grammaticorum scripta audiat, sed simpliciter Murcia; denique cum nulla alia mentione addita Veneris templum ad circum situm commemoratur, Obsequentem dici inde fit probabile, quod Livius Fabium dedicauisse ait 'eam Veneris aedem quae prope circum est'. itaque Veneris Obsequentis diem festum rusticis Vinalibus fuisse tenendum erit; quo die cum etiam Italica illa Venus hortorum, cuius aedes in Libitinae luco erat, celebrari solita sit, non est probabile eodem die et Italicae et graecanicae Veneris ferias fuisse; Italicae Veneri proprie conuenit locus prope ueteris Murciae sacellum.

II Sed fuit sane hoc ultimum Italicae Veneris templum quod Romae conditum esse fertur. eo enim quod proxime sequebatur saeculo graecanicae Veneris religio, quam iam antea ex urbibus Magnae Graeciae per Latium Romaeque cognitam fuisse consentaneum est[1], magis magisque Romanis sese insinuauit. ac praecipue magnum Veneris Graecae obseruatio inde cepit augmentum, quod primo bello Punico Romani exercitus celebratissimum illud Veneris Erycinae fanum, quod erat in summo monte Eryce Siciliae, oculis uiderunt, cum ipsum montem templumque obsessa tenerent[2], moxque tota illa regio ipsorum dicioni subiecta est. deae Erycinae longe ultra fines Siciliae per inferiorem Italiam obseruatae[3]) religionem reuersi exercitus Romam tulisse atque primum priuatis superstitionibus fouisse uidentur, donec infaustis

[1]) quae de Venere in nonnullis Latii oppidis obseruata traduntur, uelut de Lauinio (Strabo V 3, 5), Ardea (Strab. l. c. Plin. III 56 sq.), Alba (Orelli 1367), Gabiis (Orelli 1367. Willmanns 307), ita sunt comparata, ut rem non expediant, cum neque quam antiqua in singulis oppidis sit Veneris religio pateat, neque discerni possit, utrum ad Graecam an ad Italicam Venerem pertineant. itaque num unum e Latii oppidis Romanis Veneris Graecanicae cultum suppeditauerit (de Alba cogitat Merkel, Proleg. p. CCXXXXV, de Lauinio Marquardt, Röm. Staatsverwaltung III 360) in incerto erit relinquendum. e Solini II 14 narratione, quae grammaticorum αὐτοσχεδιάσματα redoleat, nil colliget homo cautus.

[2]) Polyb. I 55.

[3]) CIL I 1474. 1475. 1495. IRN 374. Zvetajeff, Sylloge inscriptionum Oscarum 60 b.

illis primis belli Hannibalici annis, cum undique Romani diuina subsidia circumspicerent, haec quoque religio publice recepta est. anno enim urbis 537 post infelicem ad lacum Trasimenum pugnam commissam iubentibus libris fatalibus non modo tum primum Marti et Veneri puluinar constitutum est, sed ipsi Veneri Erucinae a Q. Fabio Maximo dictatore aedes uota est ab eodemque biennio post in Capitolio dedicata.[1]) quae religio quam cito quasi ciuitatem Romae adepta sit nulla re luculentius demonstratur quam inde, quod iam septem lustris post a. u. 573 altera Veneris Erucinae aedes a L. Porcio L. f. Licino, cuius pater bello Ligustino uouerat, dedicata est ad portam Collinam[2]), qua mox antiquior illa aedes Capitolina uidetur obscurata esse. neque umquam immemores erant Romani se Veneris graecanicae religionem ex Eryce monte arcessiuisse, cum illud templum publica obseruatione persequerentur: consules enim praetoresque et si quis praeterea publico instructus imperio has regiones intrabat, magnifice Veneri Erycinae sacrificabant curamque aedis ita senatus susceperat, ut fidissimis Siciliae oppidis fani tutelam custodiamque mandauerit[3]); porro conspicitur templum in summo monte Eryce situm in nummis publicis septimo urbis saeculo exeunte a C. Considio Noniano cusis[4]) et etiam imperatoria aetate aedem Erycinam uetustate conlapsam petentibus Segestanis instaurandam recepit Tiberius, instaurauit Claudius.[5]) denique ab ipso Aenea templum Erycinum conditum[6]) aut Venerem Erycinam in Latium

[1]) Liu. XXII 9, 8 sqq. XXIII 30, 13; 31, 9. cf. Becker, Topographie p. 403. Merkel, Prolegomena p. CXXXVI.

[2]) Liu. XXXX 34, 4. Strabo VI 2, 5. Ouid. rem. am. 549 sq. Appian. b. c. I 93. CIL VI 2274. Becker, Topographie p. 581. dies quo aedes dedicata ferebatur celebrabatur XIIII Kal. Mai. cf. fast. Arual. 23 Apr. Ouid. fast. IIII 871 sqq. Merkel, Proleg. p. CXXXVI sq. ceterum quod Livius XXX 38 iam anno 552 ludos Apollinares propter inundationem Tiberis 'extra portam Collinam ad aedem Erucinae Veneris' paratos esse dicit intellegendum esse de loco, ubi postea templum conditum sit, recte monuit Th. Mommsen, Unterital. Dial. p. 142, 27.

[3]) Diod. IIII 83.

[4]) Cohen, méd. consul. pl. XIII Considia 1. cf. Eckhel, D. N. V 177. Mommsen, Münzw. p. 637, 281.

[5]) Tacit. ann. IIII 43. Suet. Claud. 25. eiusdem aetatis priuatae erga Venerem Erycinam obseruationis documenta exstant reliquiae carminis a L. Apronio post deuictum Tacfarinatem deae Erycinae dicati Ephem. epigr. II p. 264 sqq.

[6]) Verg. Aen. V 759 sq. Pomp. Mela II 119. cf. Eckhel D. N. I 236 sq. Klausen, Aeneas und die Penaten p. 565.

asportatam esse[1]) posteriorum memoria ferebat, cum re uera Erucinae potius Veneris religio Aeneam eiusque fabulas, etsi non primum Romam aduexit, tamen ita commendauerit Romanis, ut cum ipsis urbis initiis quam artissime conecterentur. quibus indiciis satis demonstratur, quam accepta fuerit Romanis Erycinae Veneris religio, in qua quasi radices sunt conlocatae uniuersae obseruationis Venereae, quae erat apud Romanos inde a septimo urbis saeculo.[2]) Erucinae Veneris qualis Romae fuerit imago — nam imaginibus deae templa caruisse prorsus inprobabile — etsi pro certo diiudicari nequit, tamen coniectando aliquantum adsequi posse uidemur. Veneris enim Erucinae imagines Romanas ab ea, quae in ipso fano Siciliae adseruabatur, non ualde diuersas fuisse et ex ueterum consuetudine per se est probabile et eo quam maxime commendatur, quod totam Veneris Erucinae aedem, quae erat ad portam Collinam, ad similitudinem fani Erycini aedificatam fuisse auctor est Strabo.[3]) ad ipsum uero simulacrum deae in monte Eryce obseruatae recuperandum urbis Erycis nummi maximi sunt momenti, qui deae figuram ostendunt, quamquam non eodem omnes habitu: sedentem longaque ueste indutam omnes fingunt, differunt eo, quod in aliis[4]) dea columbam gerit in manu dextra, in aliis[5]) ab Amore uolante coronatur, in aliis[6]) denique haec ita coniunguntur, ut ad pedes deae columbam in manu gestantis Amor stet bracchia ei tendens. itaque de sedentis habitu et de longa ueste nulla erit dubitatio, columbam deae in manu fuisse inde fit probabile, quod Erycinae Veneri praeter

---

[1]) Seru. Aen. I 720. cf. Solin. II 14.

[2]) huc id quoque pertinet, quod poetae Romani saepe Venerem in summo monte Eryce sedentem fingunt. cf. u. gr. Ouid. met. V 363, Sil. Ital. VI 697 al.

[3]) Strabo VI 2, 5: *ἀφίδρυμα δ' ἐστὶ καὶ ἐν Ῥώμῃ τῆς θεοῦ ταύτης τὸ πρὸ τῆς πύλης τῆς Κολλίνης ἱερὸν Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης λεγόμενον, ἔχον καὶ νεὼν καὶ στοὰν περικειμένην ἀξιόλογον.* uox *ἀφίδρυμα* ut apud Diod. XV 49 et *ἀφιδρύσεις* apud Strab. VIII 7, 2 monumenti imitationem significat.

[4]) Mionnet, Descript. de méd. I 235, 220. A Catalogue of the greek coins in the British Museum, Sicily p. 62, 10—12. ceterum quod Eckhel, D. N. I 207 hanc feminam non Venerem, sed Phoenodamantis Troiani filiam arbitratur (de qua cf. schol. Lycophr. 952) recte nemini persuasit, quia Amor in aliis nummis eidem feminae additus Venerem arguit.

[5]) A Catalogue of the greek coins in the British Museum, Sicily p. 63, 13.

[6]) Mionnet, Supplément II 386, 194. Denkm. d. alt. Kunst II 258.

ceteras columba sacra ferebatur[1]), de Amore res in incerto esset relinquenda[2]), nisi subsidium ferrent uersus Ouidii (remed. am. 549 sqq.)

est prope Collinam templum uenerabile portam
  inposuit templo nomina celsus Eryx:
est illic Lethaeus Amor, qui pectora sanat
  inque suas gelidam lampadas addit aquam.

qui monstrant simulacro Veneris Erucinae Romae in templo ad portam Collinam sito obseruatae Amorem fuisse additum. quod idem suadentibus nummis de Sicula quoque dea statuere licebit. denique in eodem nummo C. Considi Noniani, in cuius parte altera imaginem fani Erycini effictam esse uidimus, in parte aduersa conspicitur caput Veneris diademate et torque ornatae, quam ob alterius partis imaginem Erycinam interpretari recte consueuimus[3]); sed e solo capite de statuae habitu nil fere conligere licet, nisi fortasse torquem, quae nudam deam minus deceat, uestitae indicium esse dicas. itaque si conceditur Veneris Erycinae simulacra et Siciliense et Romanum consimilia fuisse, ea quae adlegaui testimonia ita licebit coniungere, ut utramque deam sedentem, longa ueste ornatam, Amore addito insignem fuisse et, quod ueri simile est, columbam in manu dextra portasse censeamus. ultra progredi statuaeque dispositionem adcuratius definire non licebit: nam cum in nummo P. Clodi M. f. anno 716 cuso[4]) conspiciatur dea sedens, uestita, dextra columbam tenens, sinistro bracchio Amorem amplexa, num haec imago aliqua ratione cum dea ad portam Collinam culta cohaereat demonstrari nequit; cohaerere posse ex his quae disputaui patet, praesertim cum illud templum Augusti aetate satis celebratum fuisse Ouidius sit testis. certe, si nummi imago ad statuam illam aliqua ratione

[1]) cf. Engel, Kypros II 158.

[2]) sic Bernoulli, Aphrodite p. 61 sq., qui tamen ita agit, quasi praeter nummos tertio loco a me commemoratos nulla Veneris imago exstaret in nummis urbis Erycis.

[3]) Cohen, méd. cons. pl. XIII Considia 1. consimile Veneris caput uides in nummo argenteo oppidi Erycis descripto et delineato in A Catalogue of the greek coins in the British Museum, Sicily p. 63, 14. quod autem in alio eiusdem gentis Considiae nummo, cuso eo quidem a C. Considio intra annos 705—709 (Cohen, méd. cons. pl. XIII Considia 3. cf. Mommsen, Münzw. p. 651), Amoris caput conspicitur, hoc ad meam sententiam stabiliendam uti non audeo.

[4]) Cohen, méd. cons. pl. XII Claudia 14. Denkm. d. alt. Kunst II 296a.

pertinet. non est adcurata simulacri imitatio, sed typus cum aliqua illius recordatione expressus.

Tertium graecanicae Veneris templum iubentibus libris Sibyllinis a. u. 640 propter atrox prodigium dedicatum est Veneri Verticordiae, cui — quod uulgo neglegitur — iam centum annis ante simulacrum uidetur constitutum esse.[1]) huic deae, cui ut Graecorum Ἀφροδίτῃ ἀποστροφίᾳ[2]) hoc muneris esse putabatur, ut mulierum uirginumque animos ad pudicitiam conuerteret. Kalendae Apriles erant sacratae[3]); templum eius ad circum conlocatum fuisse uulgo creditur Seruio[4]), qui tamen aperte inter se confundit Murciam et Verticordiam, ita ut eius fides ualde sit suspecta. huius deae imaginem erant qui adsecuti esse sibi

[1]) de prodigio templique dedicatione referunt Ouid. fast. IIII 133 sqq., Oros. V 15, Iul. Obsequ. 37. quibus cum testimoniis uulgo confunduntur Plin. n. h. VII 120, Valer. Max. VIII 15, 12, Solin I 126, qui narrant Sulpiciam, Serui Paterculi filiam, Q. Fului Flacci uxorem, matronarum consensu omnium castissimam esse iudicatam electamque, quae Veneris Verticordiae simulacrum e libris Sibyllinis dedicaret. quod quando acciderit e Plinio patet, qui huic notam illam narrationem de Claudia Quinta, quae cum matrem deum Romam inferret casta est declarata, ita adiungit, ut ea quae de Sulpicia narrantur ad uetustius tempus spectare adpareat; dicit enim: 'pudicissima femina semel [i. e. primum] .... iudicata est Sulpicia .... iterum .... Claudia.' Plinium erroris incusare incauti est, quia neque ea testimonia, quae sunt de templo dedicato, Sulpiciae aut simulacri meminerint, neque ea quae de posito simulacro prodigii illius aut templi. itaque tenendum erit ante annum urbis 550 (eo enim anno mater deum Romam aduecta est, cf. Marquardt, Staatsverw. III 352) Romae ad mulierum mores emendandos Veneris Verticordiae simulacrum publice esse dedicatum. quae cum sit Venus graecanica, hoc uix ante annum 537, quo primum Erucinae Veneris templum publice constitutum est, accidit; itaque ea Sulpicia uxor uidetur fuisse clari illius Q. Fului M. f. Q. n. Flacci, qui consulatu quater functus est annis 517, 530, 542, 545.

[2]) cf. Welcker, Griech. Götterl. II 704. K. Tuempel, Ares und Aphrodite, Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. XI 737.

[3]) Ouid. fast. l. c. Fast. Praen. 1 Apr. ex emendatione Mommseni. Lyd. de mens. IIII 45.

[4]) Seru. Aen. VIII 636: 'uallis autem ipsa, ubi circenses editi sunt, ideo Murcia dicta est, quia quidam uicinum montem Murcum adpellatum uolunt; alii quod fanum Veneris Verticordiae ibi fuerit, circa quod nemus e myrtetis fuisset, inde mutata littera Murciam adpellatam; alii Murciam a murco, quod est murcidum, dictum uolunt: pars a dea Murcia, quae cum ibi Bacchanalia essent furorem sacri ipsius murcidum faceret.' myrteta alibi non Verticordiae sed Murciae dantur. cf. Varro l. l. V 154. Plut. Q. R. 20. Plin. n. h. XV 121.

uiderentur; etenim cum in nummis M.' Cordi Rufi[1]) conspiciatur dea longa ueste induta, dextra libram, sinistra sceptrum tenens, cuius umero sinistro Amor paruulus additus est, hanc deam esse Venerem Verticordiam eamque delectam ob nominis similitudinem (Cordius — Verticordia) olim coniecit Cavedoni[2]). de cuius opinione hic non est cur fusius disseram, cum et ab omnibus nunc uideatur iure abiecta esse[3]) et nobis ipse hic Cordi nummus infra adcuratius sit examinandus.

In ipsis uero septimi saeculi nummis, qui Veneris imagines ostendunt, frusta quaeras qui ad statuae alicuius similitudinem uideantur expressi; hi enim nummi omnes notum Romanorum morem[4]) secuti deam curru uehentem fingunt atque ita comparatam, ut imagines hasce non statuae sed anaglyphi leges sequi in ipsumque nummorum usum compositas esse pateat. itaque Veneris imagines in his nummis frequentes nil docent nisi, quod ne aliunde quidem ignotum, prorsus inualuisse illo saeculo Romae religionem Veneream. ac de Veneris capitibus, quae nonnumquam inueniuntur in aduersis nummorum partibus[5]), taceo, praesertim cum saepe de Venere non constet. totae uero Veneris figurae in duarum gentium nummis conspiciuntur, Iuliae et Memmiae, quarum denarii a parte altera ostendunt deam biga uectam et ab Amore uolante coronatam.[6]) quodsi uulgo arbitrantur Venerem in Iuliorum nummis obuiam Albanam esse[7]), hoc si ita accipitur, ut his

[1]) Cohen, méd. cons. pl. XIIII Cordia 1. Denkm. d. alt. Kunst II 266 a.

[2]) Saggio d'osservazioni sulle medaglie di famiglie Romani p. 141, plaudente u. gr. Ottone Jahn, Ber. d. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. 1851, 166 **.

[3]) A. Reifferscheid, Annali 1863, 365. H. Hinck, Annali 1866, 89 sqq. F. Wieseler, Denkm. d. alt. Kunst II p. 394 sq.

[4]) de bigatis Romanorum nummis cf. A. Kluegmann, Zeitschr. f. Numism. V 62 sqq., qui tamen in singulis imaginibus interpretandis saepe infelicissimo usus est acumine.

[5]) cf. u. gr. Cohen, méd. cons. pl. XXX Norbana 2. 3, pl. XX Iulia 8 (cf. Mommsen, Münzw. p. 610, 241), pl. XXVIIII Naeuia, al.

[6]) Cohen, méd. cons. pl. XVIIII Iulia 2, pl. XXVII Memmia 2. 3 (cf. Mommsen, Münzw. p. 523, 106. 575, 202. 597, 226 Borghesi, Oeuvres I 148 sqq.). ipsum schema iam antiquius est, cum eadem ratione in nummis gentium Curiatiae Calpurniaeque (Cohen l. c. pl. XVI Curiatia 1, pl. VIIII Calpurnia 2 cf. Mommsen, Münzw. p. 511, 71; 522, 104) fingatur dea biga uecta et a Victoria uolante coronata. quam Venerem interpretari non licet.

[7]) Klausen, Aeneas und die Penaten p. 729 sq. Preller, Röm. Myth. I 437.

imaginibus Venerem aliquam antiquitus Albae cultam subesse adfirmetur, recte dici praefracte nego. cum Memmiorum, de quorum origine Albana nil traditur, eadem sit Venus. immo eadem Veneris figura in utrisque nummis eadem erit ratione explicanda: utraque scilicet gens ad aduenas Troianos originem deducebat, ad Aeneam Iulii, Memmii ad Mnestheum Aeneae comitem.[1]) itaque si quis cognomen addere uelit huic Iuliorum Memmiorumque Veneri, non Albanam, de qua praeter titulum Orellianum 1367 nihil omnino innotuit, sed Erucinam potius dicat, quippe quae cum ipsa Aeneae fabula quam artissime cohaereat: Amor additus non absonus est ab iis, quae supra de huius ipsius deae simulacro Romano disseruimus.[2]) imaginem in his nummis obuiam aliquanto immutatam ostendunt nummi L. Iuli L. F. Caesaris, qui Venerem in biga a binis Amoribus trahi facit.[3]) ad quas nummorum imagines cum sagaciter A. Reifferscheid[4]) rettulisset notos Horatii uersus (carm. I 2. 33 sq.)

> siue tu mauis, Erycina ridens,
> quam Iocus circumuolat et Cupido[5])

hoc nuper in dubitationem uocauit R. Kekulé[6]) ad Graecas potius imagines poetam respicere ratus; sed neglexit uir doctus — praeterquam quod inter Vestae Iouis Apollinis Martis nomina Romanae peculiariter deae nomen exspectatur — ita remanere

[1]) Verg. Aen. V 117. Seru. Aen. V 117. Lucretius quoque in exordio carminis Memmio dicati Venerem ita inuocat: 'Aeneadum genetrix'.

[2]) Amor simili ratione Veneri additus conspicitur in nummis urbis Erycis quos supra indicaui p. 10, 5. de Veneris Romaeque figuris in C. Egnati Maxsumi denario (Cohen, méd. cons. pl. XVII Egnatia 2. Denkm. d. alt. Kunst II 939) conspicuis uide quae disseruit, A. Kluegmann, l'effigie di Roma nei tipi monetarii più antichi (Roma 1879) p. 39 sqq., qui tamen frustra pugnat contra Th. Mommseni (Münzw. p. 614 n. 433) sententiam, coniunctas Romae Venerisque imagines ad fabulas Troianas spectare. nam quod ipse contra dicit Amori Veneri addito nihil rei esse cum fabulis Troianis expeditur, si hunc Amorem Erucinae Veneris indicium esse conceditur.

[3]) Cohen, méd. consul. pl. XX Iulia 4. Denkm. d. alt. Kunst II 287 a. cf. Mommsen, Münzw. p. 567, 187.

[4]) Obseruationes criticae et archaeologicae (ind. lect. hib. Vratisl. 1878—1879) p. 3 sq.

[5]) cf. etiam Ouid. fast. IIII 1 'alma faue, dixi, geminorum mater Amorum'.

[6]) Archaeol. epigraphische Mittheil. aus Oesterreich III 24, 59.

in uersibus Horatii eum scrupulum, qui Peerlkampio ut totam stropham expungeret causa fuit, cum hanc laetam amatoriamque Veneris figuram carmen de grauissimis rei publicae curis conquerens decere negaret: quod tollitur simulac cum Reifferscheidio Erucinam gentis Juliae deam a poeta indicari tibi persuades; neque uideo quod huic interpretationi aduersetur.

III Jam examinatis iis, quae de uetustiore Veneris apud Romanos religione traduntur, ad ultimum liberae rei publicae saeculum delabimur, ubi paullo uberiora scriptorum monumentorumque testimonia adfluere coeperunt. atque cum per uetustiora tempora plurimum ualere uiderimus Italicae graecanicaeque Veneris discrimen, id cum haec illam partim omnino submouerit, partim in se receperit, iam multo minus usu uenit. contra illa aetate noua oriebatur distinctio, uidelicet ut ex uariis quae deae adtribuebantur officiis complures Veneres discernerentur publicaque religione non una coleretur dea Venus, sed etiam Venus Felix, Venus Victrix, Venus Genetrix, quae diuersae eiusdem numinis formae tum quidem certe et religione et imaginibus aliquantum inter se differebant, etsi postea denuo sunt commixtae. uidetur uero haec distinctio originem deducere ex ea aetate — certe Felicis Victricis Genetricis cognominum nulla uetustior exstat mentio — qua Veneris religio egregium incrementum cepit ex iis uiris, qui rem publicam libertatis iam non patientem per bella ciuilia dictaturasque perpetuas ad unius dominationem deducebant, dico L. Cornelium Sullam, Cn. Pompeium Magnum, C. Iulium Caesarem, denique Octauianum Augustum, qui omnes singulari obseruatione deam prosequebantur et uouendis aedibus, dedicandis simulacris, instituendis feriis eius auctoritatem religionemque promouebant.

Ac Sulla quidem quanto opere Venerem fuerit ueneratus notum est atque conclamatum. neque uero satis animaduerterunt uiri docti huius Veneris Sullanae indolem haud mediocriter differre a uulgata Venere. est enim non tam amoris uenustatisque dea neque adeo Venus Victrix quae dici solet, sed numen fatorum regendorum praeter cetera potens, ita ut Fortunae Felicitatisque sit consimilis. hoc iam inde adparet, quod, cum post Marium deuictum atque prostratum Felicem se adpellari publico edicto iussisset [1]), hoc cognomen per prouinciarum Graecarum monumenta

[1]) Aurel. Vict. uir. inl. 75. Liu. XXX 45, 6. Plin. n. h. VII 137. Valer. Max. VI 9, 6. Vell. II 27.

publica non uoce εὐτυχής, sed ἐπαφρόδιτος reddi uoluit [1]), quia, ut utar uerbis Plutarchi (de fort. Rom. 4) ab ipsa Sullae opinione certe non alienis πλεῖστον Ἀφροδίτης ἡ τύχη μετέσχηκεν. atque eodem redit quod narrat Plutarchus (Sulla 19) in trophaeis pugnae Chaeroneensis Sullam Martis Victoriae Veneris nomina posuisse ὡς οὐχ ἧττον εὐτυχίᾳ (Venus) κατορθώσας ἢ δεινότητι (Mars) καὶ δυνάμει (Victoria) τὸν πόλεμον. itaque ab hac peculiari deae indole proficisci oportebit in disceptanda quaestione qualis fuerit Veneris Sullanae imago neque adstipulabimur Prellero, qui Victricem fuisse uideri adnotauisse satis habet, quod recte nunc in dubitationem uocauit H. Jordan.[2]) ac primum quidem in denariorum Sullae ante annum 672 cusorum [3]) parte aduersa caput Veneris conspicitur torque et diademate ornatum, ante quod in basi paruula Amor stat nudus, dextra ramum siue palmam tenens: haec consilio composita esse, ut statua aliqua celebris in eius qui spectet memoriam reuocetur et basi in qua Amor constitutus est commendatur et eo, quod mira haec coniunctio capitis cum integra Amoris figura hac sola ratione probabiliter expeditur. itaque e nummis concludere licebit Venerem Sullanam [4]) uestitam fuisse — nudae enim deae, de qua etiam per se uix quisquam cogitauerit, diadema torquesque uix conueniunt — et Amore comite usam esse. sed ultra uidetur progredi licere, cum inter uarias quae aetatem tulerunt Veneris imagines una uideatur et certa ratione cum Sulla cohaerere et optime cum iis concinere, quae de Sullanae Veneris indole modo exposui, dico notam illam Venerem Pompeianam. etenim cum hoc unum ex iis oppidis, in quae Sulla post peracta bella ciuilia ueteranorum militum colonias deducebat, miro fortunae casu e ruinis nunc denuo reuiuescat et in hac urbe Venerem prae dis ceteris pro numine oppidi tutelari cultam fuisse et tituli et imagines

---

[1]) Appian. b. c. I 97. Plut. Sull. 34, de fort. Rom. 4.

[2]) Preller, Röm. Mythol. I 443, 1.

[3]) Cohen, méd. consul. pl. XV Cornelia 17. cf. Mommsen, Münzw. p. 593, 224 c.

[4]) Venerem Sullanam cum dico non me fugit de templo Veneris a Sulla dedicato nihil traditum esse. sed quin dictator Veneris obseruantissimus imaginem deae habuerit siue publico siue priuato cultui destinatam, extra dubitationem uidetur positum esse. quod nummi quoque imago demonstrat.

parietibus inductae demonstrent[1]). hanc Veneris in Sullana colonia obseruationem praecipuam non casu accidisse ueri simile est. quod cum fugere non potuerit Nissenum[2]), his ille expedire contentus est: 'dass die Römer hier, wie in andern Städten Unteritaliens, zur Bezeichnung einer einheimischen Gottheit die Venus wählten, mag den sullanischen Veteranen durch die Vorliebe ihres Meisters für Aphrodite an die Hand gegeben sein.' quod uereor ne ipsae deae Pompeianae imagines crebro in parietibus pictae mutare cogant. quid enim? cum iam per se ueri sit satis simile Venerem in colonia Sullana pro numine oppidi tutelari cultam ipsam illam esse Venerem Sullanam, nonne hoc paene certum fiet, si hanc ipsam cum Fortuna Felicitateque cognationem, quam Sullana dea prae se fert, etiam in iis Veneris imaginibus deprehendemus, quas frequentes ostendunt parietes Pompeiani? iam enim in picturis Pompeianis haud paucis[3]) Venus conspicitur aut sola aut cum Ioue Vesta Genio Laribus aliis coniuncta eodem semper habitu eoque a solitis Veneris imaginibus adeo diuerso, ut diu uiri docti Venerem non agnouerint: pingitur dea stans, tunica pallioque plene uestita, coronam muralem diademaue in capite gerens, laeuo bracchio, qui magno remo inuerso innititur, sceptrum, dextra manu ramum oleaginum tenens; iuxta deam in basi Amor constitutus est alatus[4]), chlamyde plerumque et bulla insignis, manibus speculum matri tendens. hanc feminam, quamquam Amor additus Venerem indicare uidebatur, propter remum

[1]) publicum oppidi nomen COL(onia) VEN(eria) COR(nelia) habes CIL I 1252. Venerem Pompeianam (cf. Martial. IIII 44, 5) saepe ostendunt tituli: CIL IIII 26. 538. 1520. 2457. IRN 2253. cognomen fisicae, quod bis datur Veneri Pompeianae (CIL IIII 1520, IRN 2253. cf. 'Mefitis fisica' IRN 307), cum certa explicatione indigeat, in disceptationem uocare non licet.

[2]) Pompeianische Studien p. 343.

[3]) W. Helbig, Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens n. 7. 60. 65. 66. 295. 296. 1479. ad statuam eiusdem deae maiorem pertinere uidetur remus magnus aeneus Pompeis repertus. cf. Gaedechens, Bulletino d. I. 1872, 169. consimilem deae figuram gemma ostendit quae est Denkm. d. alt. Kunst II 934.

[4]) quod in una imagine (Helbig l. c. n. 1479 = Giorn. d. Scavi I tav. 6, quam delineationem oculis usurpare non potui) hic puer alis caret, hanc sunt qui antiquiorem eius formam existiment (Nissen l. c. p. 329. Kekulé, arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III 14 sq.); sed recte Helbig hoc soli pictoris neglegentiae tribuisse uidetur, cuius plura in hac imagine uestigia.

coronamque muralem diu aliter interpretabantur uiri docti. quorum plerique *Τύχην* deam cum *Πλούτῳ* puero agnoscere sibi uisi sunt[1]), donec A. Conze[2]) in imagine, qua duodecim di repraesentantur, deam inter Martem Volcanumque stantem, quam Venerem esse extra dubitationem positum est, prorsus eundem referre habitum, quem illam quae putabatur *Τύχην*, et uel remi signo uti demonstrauit ideoque has omnes imagines Venerem repraesentare euicit. quod nunc nemo dubitat. quodsi haec Conze addit: 'Auf die pompeianische Venus hatte man also im Ruder wie in der Mauerkrone auf dem Kopfe, welche wenigstens auf dem Wandgemälde der sog. Casa del Laberinto[3]) ganz deutlich zu erkennen ist, Attribute der Fortuna übertragen, musste ihr also in dieser Stadt eine ganz besondere schicksallenkende Macht zuschreiben' iam uide quanto opere haec concinant cum iis, quae de Sullanae Veneris indole supra exposui. neque differt nummi quem dixi Sullani imago, quae et ipsa Amorem statuae Sullanae additum fuisse demonstrat; quod hic Amor in nummo palmam, in imaginibus speculum tenet, neminem mirum habebit, qui reputet in paruulis nummorum imaginibus uix potuisse fieri, ut speculum distincte exprimeretur, neque omnino uoluisse nummarium adcuratam statuae imitationem prodere. corona uero muralis, quam in nonnullis imaginibus Venus Pompeiana gestat, a Sullana Venere procul dubio aliena est eique Pompeis addita, qua numen urbis tutelare significetur.[4]) porro remus notissimum est Fortunae signum.[5]) de ramo oleagino nemo, quod sciam, quaesiuit, quamquam non minus certum est, eo peculiariter significari Felicitatem; huic enim deae in imperatorum nummis frequenti praeter caduceum et cornu copiae quam maxime dari solet 'ramus felicis oliuae',

---

[1]) u. gr. Schulz, Annali 1839, 101 sqq. O. Jahn, Berichte d. sächs. Gesellsch. 1851, 132.

[2]) Archaeol. Zeitung 1861, 184; de imagine XII deorum cf. Helbig, n. 7 = Annali 1850 tav. d'agg. K.

[3]) Helbig n. 65.

[4]) corona murali quomodo ad singulorum oppidorum numina significanda ueteres usi sint, basis Puteolanae anaglyphis optime inlustratur (Ber. d. sächs. Gesellsch. 1851 t. I—III).

[5]) Venus remo gubernaculoue innisa etiam in imperatoriae aetatis nummis conspicitur. u. Cohen, méd. impér. Faustine jeune 89—93. 234—237. Supplém. 12—13. Denkm. d. alt. Kunst II 266.

ut uerbis utar Vergilii[1]). et in Hadriani nummis nonnullis, qui secundum inscriptionem 'Romam felicem' ostendunt, haec a solitis deae Romae imaginibus solo addito ramo oleagino differt.[2]) qua comparatione ducti etiam hanc Venerem, de qua commentamur, felicem adpellare non abhorremus. atque uide quam bene omnia concinant: Venerem et totus figurae habitus et comes Amor indicant, deam urbanam corona muralis, numen fatorum regendorum pollens remus, felicem deam ramus oleaginus. itaque cum haec sit mea opinio, Veneris Felicis notionem, cuius abhinc frequens est mentio, a Sulla etsi non inuentam, tamen ita receptam esse, ut ad publicam Romanorum religionem pertinere coeperit, ualde me differre non ignoro a uulgata uirorum doctorum sententia, quam ita refert L. Preller (Röm. Mythol. I 448): 'ferner aber eine namentlich in Campanien, aber auch sonst in Italien und in Rom verehrte Venus felix, welche eine Göttin weiblicher Fruchtbarkeit war und als solche wie eine glückliche, eine gesegnete Mutter, ein Kind auf dem Arme abgebildet wurde', addens in adnotatione uocem 'felix' a 'feo, fetus' al. deriuari. itaque haec sententia duobus nititur argumentis, scilicet uocis 'felix' etymologia et deae imagine. atque uocem 'felix' cum 'feo, fetus' cohaerere primariamque habuisse significationem fecunditatis nemo est qui neget; nec uero minus certum, ea aetate, qua Venus felix coli coepta est, etiam alteram illam usitatamque notionem uocis, qua significat 'glückbringend', exstitisse et quis est qui spondeat in nomine deae uocem 'felix' e uetustiore, non e uulgari sensu explicandam esse? nonne 'Venus felix' i. e. Venus felicitatem adferens aeque apte dicitur atque u. gr. 'Mercurius felix'[3])? an hunc quoque fecunditatis deum interpretaberis? imaginem uero deae quod adtinet, sane in nonnullis Faustinae minoris nummis[4]) Venus sedens fingitur cum sceptro atque infante eandemque

[1]) Aen. VI 230. nummos hos conferri iubeo: Cohen, méd. impér. Vespasien 273. Adrien 218 sq. 223 sq. 817—821. Aelius Verus 31. Antonin le Pieux 586. Marc Aurèle 468 al.

[2]) Cohen, méd. impér. Adrien 464—466.

[3]) CIL IIII 812. Cohen, méd. impér. Postume père 88. similiter dicitur Siluanus felix CIL V 3302, Diana felix Cohen, méd. imp. Gallien 110—113, Victoria felix Cohen, Commode 329. 330. ceterum cf. Verg. Aen. I 330, ubi Venerem ita adloquitur Aeneas: 'sis felix nostramque leues, quaecumque, laborem.'

[4]) Cohen, méd. imp. Faustine jeune 239—241. cf. Salonine 78.

stantem nonnulli posteriorum Augustarum nummi[1]) ostendunt, Veneris Felicis nomine utrique inscripti. sed huius argumenti auctoritas eo infringitur, quod haec altera imago in iis nummis, in quibus primis occurrit, non Felici adscribitur Veneri, sed Genetrici[2]), illa uero prior in Faustinae nummis obuia, ad quam Preller prouocat, neque sola est Veneris Felicis imago neque reliquis aut antiquior aut frequentior. antiquissima enim Veneris Felicis imago occurrit in Hadriani nummis[3]), in quibus sedet dea hastam Victoriamque paruam tenens; porro praeter eam quam modo dixi imaginem Prellerianam Veneris Felicis nomen in nummis adscribitur deae stanti sceptro et pomo insigni[4]) aut altera manu pomum tenenti, altera pallii laciniam super umerum trahenti[5]) omnesque hae imagines altera illa aut frequentiores sunt aut certe non rariores. quid ergo? nonne uia et ratione caret haec ratiocinatio, quae e compluribus Veneris Felicis imaginibus ad arbitrium unam eamque neque antiquissimam neque usitatissimam eligat, e qua deae indolem definiri iubeat? hac certe ratione nihil est quin demonstrari possit. neque melius stabilitum est quod ait Preller Venerem Felicem peculiariter Campanam fuisse deam: nam cum per totam Campaniam Veneris religionem floruisse notum sit[6]), qui Veneris Felicis mentionem contineat e tota Campania unus exstat titulus Caiatinus[7]), atque is quidem imperatoria aetate conceptus, ita ut hanc deam in Campania aut uetustiore aut praestantiore quam alibi religione usam esse nullis commendetur testimoniis. iam igitur nihil uidetur meae ratiocinationi aduersari, omnia fauere. itaque, si me audis, Sulla, qui praeter ceteros felix et esse et nominari uolebat eamque felicitatem Veneri acceptam referebat, peculiari obseruatione prosecutus est Venerem, quam et Felicem nuncupauit et ea imagine effingendam curauit, qua haec eius indoles indicaretur.

---

[1]) Cohen l. c. Mamée 18–21. 59—66. Salonine 79. Severine 14 (?).

[2]) Cohen l. c. Faustine jeune 81. 223—224. Suppl. 10.

[3]) Cohen l. c. Adrien 504—505. cf. Faustine jeune 94. 106. Crispine 17—18. 43. Aquilia Severa 11.

[4]) Cohen l. c. Iulia Domna 104. Gallien Suppl. 60.

[5]) Cohen l. c. Iulia Domna 105. 193—194. Plautilla 16.

[6]) Nissen, Pompeian. Stud. p. 328.

[7]) IRN 3903. praeterea Veneris Felicis sacerdos commemoratur in titulo Peltuini reperto scriptoque anno p. Chr. 242 (IRN 6034) eandemque deam nominant lapides duo Romani CIL VI 781. 782.

imperatoris sui deam ueterani milites per colonias diducti in multas Italiae regiones ferebant et in una alteraue harum coloniarum ipsa Sullana Venus pro numine oppidi tutelari colebatur, sicuti Pompeis factum est.[1]) quo accidit, ut non solum Veneris Felicis religio percrebresceret, sed mox ipsum Felicis nomen, quo antea peculiaris deae indoles indicabatur, in communem cognomenti sensum abiret et in imperatorum nummis cuilibet Veneris imagini, quae in se nullum contineret Felicis indicium, adscriberetur[2]); quod aliis quoque Veneris imaginibus accidisse uidebimus. quod uero solum nomen mansit, ipsa deae imago ita obsoleuit, ut in imperatorum nummis numquam compareat, minime mirum, cum ne aliis quidem eiusdem aetatis Veneris simulacris benignior contigerit fortuna. in tantum enim illa aetas Veneris erat obseruans, ut altera imago alteram truderet.

IIII Sullam in excolenda Veneris religione excepit Cn. Pompeius. qui cum consul iterum a. u. 699 theatrum lapideum dedicauisset, cum seueriorum hominum reprehensionem metueret, quasi manentem luxuriae sedem in urbe constituisset, huic theatro compluria templa superinposuit, 'quorum gradus uice theatri essent', in iisque Veneris aedem; quam Venerem Victricem fuisse et Plinius testatur et titulus (CIL VI 785) circa hanc ipsam regionem repertus[3]); neque differt M. Tullius Tiro hanc

---

[1]) quae de Venere et Cerere dis Pompeianorum praecipuis egregio exposuit Nissen l. c. p. 327 sqq. ex iis quae supra disserui paullulum immutentur necesse erit. cum enim Nissen utramque deam ueterem atque indigenam arbitretur, ego nescio an melius Ceres antiquitus primaria oppidi dea fuisse putanda sit, Venus per ueteranos Sullanos ita ei addita, ut eam in secundum locum remouerit. fortasse similiter etiam de Cereris Venerisque sacerdotibus iudicandum erit, quae Surrenti Casini Sulmone occurrunt (IRN 2123. 4227. 5434).

[2]) uide etiam statuam Sallustiae Barbiae Orbianae Veneris felicis nomine inscriptam Mus. Pio-Clement. II 52.

[3]) theatrum ipsum quin altero Pompei consulatu dedicatum sit dubium esse nequit in consensu testium omnium (Cass. Dio XXXVIIII 38. Plut. Pomp. 52. Ascon. p. 1 KS.); Veneris quoque aedem hoc anno dedicatam esse Plin. n. h. VIII 120 auctor est, qui tamen errauisse uidetur, cum obloquantur testes optimi Varro et Tiro apud Gell. X 1, 6 sq. aedem Victoriae ad tertium consulatum referentes. itaque fortasse recte Becker, Topographie p. 676, 1474 'es scheint daraus hervorzugehen, dass der Tempel später hinzukam und das Theater erst jetzt die Dedicationsinschrift erhielt'; quamquam Tertull. de spect. 10 dedicationem et theatri et templi Veneris una factam esse arbitratur. res nondum ad liquidum est perducta.

aedem Victoriae sacram fuisse dicens, quoniam Veneris Victricis Victoriaeque nomina promiscue a Romanis usurpata esse constat.[1]) ipsa autem Veneris Victricis, quae hic primum occurrit, religio apud Romanos abhinc satis frequens nata esse uidetur e uetustiore Veneris cum Victoria coniunctione[2]), qua Venus dea bellorum potens indicabatur; quam coniunctionem postea quoque ualuisse uidebimus. Pompeio uero ut Veneris Victricis religionem publice susciperet hoc fortasse in causa fuit, quod per bella Asiatica in nonnullis eius regionis oppidis *Ἀφροδίτης νικηφόρου* in ipsa Graecia rarius obseruatae religionem florere uiderat, ut Pergami Smyrnaeque.[3]) — ad hanc Pompei aedem procul dubio referenda sunt quae in fastis Amiterninis adnotantur ad prid. Id. Sext. 'Veneri Victrici, Hon(ori), Virt(uti), Felicitati in theatro marmoreo'; unde hoc discimus, quod certe non leuidense est, Venerem Pompei una cum Felicitate cultam esse, quod inlustrat qua ratione suam Venerem cum Sullana Pompeius coniunxerit: Sulla ipsam Venerem Felicem uenerabatur, Pompeius, qui Victricem colere maluit, sociam ei dedit Felicitatem; haud aliter Iulium Caesarem, qui Genetricem non Victricem colebat, huic comitem addidisse Victoriam mox uidebimus. porro ad eandem aedem pertinent quae de Pompei somnio narrat Plutarchus[4]), perperam ea quidem a Klauseno[5]) de Iuliorum aliqua Venere Victrice intellecta. qua re sensus narrationis euertitur: quippe cum in somniis sibi uisus esset Pompeius plaudente multitudine theatrum ingressus Veneris aedem multis spoliis ornare, dubius haesitabat, fausta an infausta hoc somnio portenderentur: nam etsi suam Veneris aedem ornare sibi uisus erat, ipsa Venus a Caesare pro matre gentis colebatur. postea cum de hac aede nulla fiat mentio[6]), fortasse uno illorum

---

[1]) cf. Mommsen, CIL I p. 397. III p. 364. 'Venus Victoria' occurrit in nummis Iuliae Domnae apud Cohen, méd. imp. Iulia Domna 99. 100 descriptis. cf. F. Kenner, arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III 32**.

[2]) uide speculum latinis inscriptionibus insigne, in quo conspiciuntur figurae Vitoriae (sic), Veneris, Cupidinis, quarta de qua non constat. Ritschl, Priscae latin. mon. epigr. tab. XI N. CIL I 58.

[3]) Preller, Griech. Mythol. I 280, ubi delenda Samnii mentio, quae e subditiciis Parallelis minoribus fluxit.

[4]) Pompei. 68.

[5]) Aeneas und die Penaten p. 731, 1340 b.

[6]) quod Cassius Dio L 8 *Νίκης ἄγαλμα ἀπὸ τῆς τοῦ θεάτρου σκηνῆς πεσεῖν* narrat num ad statuam Veneris Victricis pertineat in obscuro est.

incendiorum, quae compluria theatrum passum est[1]), absumpta est neque restituta. de Veneris Victricis Pompeianae simulacro nihil omnino compertum habemus. nam etsi ad hanc deam Th. Mommsen rettulerit caput Veneris taenia lauro sceptro ornatae, quod conspicitur in nummorum a. u. 700 a Fausto Sulla cusorum parte aduersa[2]), neque inde multum lucramur neque omnino certa est coniectura, cum utrum altero an tertio Pompei consulatu Veneris aedes dedicata sit, non sit exploratum.

V. Iam deinceps diutius erit commorandum in eo Veneris simulacro, quod per C. Iulium Caesarem magnam famam adsecutum est, Veneris Genetricis uidelicet. atque cum iam septimo urbis saeculo gentem Iuliam quam maxime fuisse Veneris obseruantem eamque pro gentis matre coluisse uiderimus, ipse C. Iulius Caesar plurimum huic origini diuinae tribuebat, qui a Venere se ortum esse publice gloriabatur[3]) eiusque armatae sculptam imaginem — in anulo, ut uidetur — gestare solebat.[4]) auctor est Appianus (b. c. II 68 sq.) ea nocte, quae pugnam Pharsalicam praecedebat, Caesarem Venerem Victricem precibus inuocasse, si ipse uicisset templum ei se magnificentissimum dedicaturum esse pollicitum, eiusdemque deae nomen in ipsa pugna pro tessera militari edidisse, sicuti alias quoque fecit.[5]) cum uero ipso bello finito a. u. 708[6]) aedem quam tum uouerat dedicaret, non Victrici inscripsit sed Genetrici, scilicet non ideo potissimum se deam uenerari testatus, quod hostes prostrauerit, sed quod ipsam gentem Iuliam condiderit.[7]) quam ob causam consilium dictator mutauerit, pro certo dici nequit; fortasse eadem moderatione hac in re ductus est, quae eum dehortata erat, quominus post confecta bella ciuilia de ciuibus Romanis triumpharet (Appian. b. c. II 101). hoc unum certissimum est hanc Venerem in Caesaris aede cultam nusquam audire Victricem; sed sic quoque in ipsa eius religione sufficiens inerat memoria uictoriarum

[1]) cf. Becker, Topographie p. 677. Gell. X 1, 8 sq.

[2]) Cohen, méd. consul. pl. XV Cornelia 23. cf. Mommsen, Münzwesen p. 628, 269 a.

[3]) Suet. Caes. 6. 49. Vellei. II 41 al.

[4]) Cass. Dio XXXXIII 43.

[5]) Appian. b. c. II 76. cf. 104. Cass. Dio l. c. Borghesi, Oeuvres II 160.

[6]) a. d. VI Kal. Oct. aedem dedicatam esse testantur fasti Arualium et Pinciani, a. d. VII Vallenses.

[7]) *ὡς ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης* Cass. Dio XXXXIII 22. Appian. b. c. II 102 al.

Caesaris. cum illa Venus Genetrix eum in modum cum Victoria dea coniuncta coleretur, ut ludi a Caesare instituti pariter modo Veneris Genetricis modo Victoriae Caesaris adpellentur.[1]) haec Veneris Genetricis aedes ad forum ab ipso Diuo Iulio aedificatum sita[2]) et a Caesare ipso et ab Octauiano Augusto magnificentissimis donis ornabatur: sic, ut e Caesaris donis nonnulla commemorem, ille thoracem e margaritis Britannicis factum[3]), Cleopatrae signum aureum[4]), Timomachi tabulas, quibus Aiax et Medea picti erant[5]), in hac aede dedicauit, equi prae ceteris amati, qui miro naturae lusu pedes humanis similes habuisse fertur, statuam ante templum conlocauit.[6]) quibuscum concinit quod haec aedes quasi pro sacro Caesaris gentilicio habita esse uidetur: ante hanc aedem sedens Caesar senatum honorificentissimis decretis se adeuntem recepit[7]) et post ipsius necem omnia fere quae ad dictatoris inferias pertinebant cum hoc templo coniungebantur: in ipso funere 'pro rostris aurata aedes conlocata est ad simulacrum templi Veneris Genetricis'[8]), funebres Caesaris ludi cum ipsis Veneris Genetricis (siue Victoriae Caesaris) ludis coniuncti ad Genetricis aedem editi sunt[9]): in quibus cum stella comparuisset, quae Caesari immortalitatem et diuinitatem portendere uidebatur, statua eius aenea stella in capite ornata in ipso Genetricis templo ab Augusto conlocata est.[10]) neque sub primis imperatoribus huius aedis auctoritas imminuta est: regnante Tiberio huc conueniunt centumuiri municipii Augusti Veientis, qui ob res suas agendas Romam uenerunt[11]), urbes Asiae ingentem Tiberii statuam ad hanc aedem dedicant[12]), et etiam sub Nerone

[1]) Mommsen, CIL I p. 397. Reifferscheid, Annali 1863, 367. testimonia de his ludis uetera dabit L. Lange, Römische Alterth. III 1 p. 447, 12.

[2]) Becker, Topographie p. 363 sqq.

[3]) Plin. n. h. VIIII 116.

[4]) Appian. b. c. II 102. Cass. Dio LI 22.

[5]) Plin. n. h. VII 126. XXXV 26. 136.

[6]) Suet. Caes. 61. Plin. n. h. VIII 155.

[7]) Suet. Caes. 78. Cass. Dio XXXXIIII 8.

[8]) Suet. Caes. 84.

[9]) Plin. n. h. II 93. Cass. Dio XXXXV 6. Seru. Aen. VIII 681.

[10]) Cass. Dio XXXXV 7.

[11]) cf. titulus anno p. Chr. 26 conceptus Orelli 4046 = Wilmanns 2079.

[12]) Phlegon. mirab. 13. cf. O. Jahn, Ber. d. sächs. Gesellsch. 1851, 122 sq.

imperatore senatores de Paeto Thrasea diiudicaturi hoc templo pro curia utuntur.[1]) mox uero post ipsas Iuliorum Claudiorumque familias exstinctas et templi nulla iam fit mentio neque ipsa haec Venus ita commemoratur, ut Iuliorum non aliam quandam Venerem Genetricem intellegendam esse extra dubitationem positum sit.[2]) ac de ipsa templi historia haec sufficiant, quae non tam copiose exposuissem, nisi magni essent momenti ad eas quas iam adgredior quaestiones diiudicandas. erat in hac aede constitutum simulacrum Veneris Genetricis ab Arcesilao confectum, artifice adeo diligenti atque curioso, ut eius proplasmata pluris uenire solita esse quam aliorum opera compluriaque monumenta, in quibus ipsam Veneris Genetricis statuam, ob nimium emendandi perpoliendique studium semiperfecta eum reliquisse Varro auctor sit.[3]) quae Veneris Genetricis statua quomodo disposita fuerit eo magis et dignum uidetur inquisitione et quaesitum est a uiris antiquitatis studiosis, quod ex omnibus quae in templis Romani uenerabantur Veneris simulacris hoc unum ad certum eumque non paruae laudis artificem refertur. atque cum ob magnam gloriam, qua et ipsa Iuliorum Venus Genetrix et statua eius ab Arcesilao confecta apud ueteres fruebantur, omni probabilitatis specie commendetur, huius simulacri imaginem per fugam temporum non prorsus euanuisse, sed inter innumeras Veneris effigies quae in omnigenis artium monumentis superstitibus cernuntur non deesse, quae certis rationibus ex Arcesilai opere deriuentur, in disceptanda hac quaestione in contrarias sententias abierunt uiri docti, quorum placita iam singula erunt perpendenda.

ac primum quidem cum per plerasque monumentorum conlectiones dispersa plurima exstent exempla[4]) statuae Veneris ita compositae, ut dea uestita sit tunica soluta adeoque tralucida, ut omnes corporis formae expressae sint, alteraque manu pallii tunicae superiniecti laciniam super umerum trahat, hanc deam

---

[1]) Tacit. ann. XVI 27.

[2]) Venus Genetrix quae commemoratur in duobus titulis Beneuenti Telesiaeque repertis (IRN 1385. 4837) num Iuliorum dea sit discerni nequit, cum de titulorum aetate non constet, idemque cadit in titulum Castulonensem (CIL II 3270), in quo Q. Torius Q. f. Culleo signa Veneris Genetricis et Cupidinis ad theatrum posuisse dicitur. tituli Orelliani 1358 et 1377 spurii uidentur.

[3]) apud Plin. n. h. XXXV 156.

[4]) elenchum monumentorum dat Bernoulli, Aphrodite p. 86 sqq.

Venerem Genetricem adpellandam esse primus, quod sciam, suspicatus est Ennius Quirinus Visconti [1]), cuius inuentum mox multis plaudentibus [2]) ita persecutus est Car. Odofr. Mueller (Handb. d. Archaeol. § 376, 3), ut omnes has statuas ad exemplum simulacri ab Arcesilao confecti expressas esse censeret. quam sententiam qui denuo defenderet nuper exstitit I. I. Bernoulli [3]), cuius tamen cum tu argumenta perlustraueris tenuissima aut potius nulla esse uidebis. Visconti enim ut Genetricis nomen his statuis conuenire demonstraret primum quidem pleniorem deae amictum in argumento posuit, tum nummos attulit Sabinae, Hadriani imperatoris uxoris [4]), in quibus haec eadem Veneris imago conspicitur addita inscriptione VENERI GENETRICI; ad Arcesilaum qui hanc imaginem rettulerunt his nihil aliud potuerunt addere nisi nullam aliam Veneris Genetricis statuam praeter illud Arcesilai opus commemorari et praeterea ipsa exemplorum multitudine indicari omnes has statuas ad simulacrum aliquod celeberrimum redire. atque hoc quidem ultimum nemo erit qui neget: neque tamen ideo de Arcesilao concedendum erit, cum ne id quidem exploratum sit hanc Venerem recte Genetricem nuncupari. nam etsi pleniore haec Venus utitur amictu, quam quem in plerisque deae statuis uidere consueuimus, tamen elegans pallii dispositio, alterius mamillae denudatio, ipsa denique tunica pellucida — quam Cois meretricum Romanarum uestimentis apte comparauit O. Jahn — delicatiora uidentur, quam quae 'almam Aeneadum parentem' deceant.[5]) nummis autem Sabinae haud

---

[1]) Museo Pio-Clementino III 8 p. 44 sqq. edit. Mediol.

[2]) E. Gerhard, Akadem. Abhandl. I 260 sq. H. Brunn, K. G. I 601. O. Jahn, Berichte der sächs. Gesellsch. 1861, 113 sq. Overbeck, Geschichte der griech. Plastik ² II 349 sq.

[3]) Aphrodite p. 96 sq.

[4]) Cohen, méd. impér. Sabine 24. 79—82. Denkm. d. alt. Kunst II 263 a.

[5]) quae contra dicit Bernoulli l. c. p. 116 'Warum sollte die Mantelläfterin Anstoss erregt haben, da ja sogar die Anadyomene des Apelles als Stammmutter des iulischen Geschlechts geweiht wurde' falsissima sunt. monumentorum enim in sacris aedibus conlocatorum cum duplex sit genus (cf. Suet. Tiber. 26), alterum uenerationi publicae destinatorum, alterum ad ornandum templum constitutorum, ad hoc alterum aperte pertinebat Apellis tabula ab Augusto in Diui Iulii templo dedicata (Plin. n. h. XXXV 91): quae ad ipsam Venerem Genetricem non magis spectabat, quam Aiax et Medea Timomachi tabulae in illius aede ab Augusto conlocatae (u. p. 24). decepisse uidetur Bernoullium locus Strabonis XIIII 2. 19, qui nil demonstrat.

multum effici ipsi Bernoullio[1]) suboluit, cum in aliis nummis et Genetricis nomen imaginibus huius dissimillimis adscribi et hanc imaginem non Genetricis sed Victricis nomine signari uideret.[2]) quae cum ita expedire satis habeat: 'aus alledem geht zunächst soviel klar hervor, dass mit dem Namen Genetrix (wie mit dem der Victrix [addere poterat Felicem et si quod praeterea Veneris cognomen in nummis occurrit]) nicht sowohl ein künstlerischer, als vielmehr ein mythisch-religiöser Typus gemeint ist, der im einzelnen verschieden gebildet werden konnte, wenn nur gewisse allgemeine Characterzüge, wie namentlich die vollständige Bekleidung gewahrt blieben', minime omne punctum tulisse uidetur. immo cum Veneris Felicis, Victricis, Genetricis et notiones et imagines iam liberae reipublicae aetate constitutas fuisse sciamus, in nummorum uero typis cognomina Veneris imaginibus ante Hadrianum imperatorem nulla adscribantur, porro uero inde ab illo tempore Veneris Genetricis, Victricis, Felicis cognomina eum in modum promiscue usurpentur, ut non modo diuersis aetatibus, sed uel in eorundem imperatorum nummis et imaginibus toto caelo diuersis eadem cognomina adscribi[3]) et easdem imagines

---

[1]) Aphrodite p. 94 sq. cf. Fröhner, notice de la sculpture antique du musée national du Louvre I (1878) p. 167. cum neuter plenum elenchum det, breui enumerare iuuabit quibus imaginibus in nummis imperatoriis Genetricis cognomen adscribatur: a) Venus stans clipeo et Victoria insignis, Cohen, méd. impér. Adrien 506 sq. Faustine jeune 95 sq. 225. Lucille 78. b) eadem sedens, Cohen, Faustine jeune Suppl. 15. c) Venus illa Sabinae. d) Venus stans sceptrum et pomum (siue globum pateramue, quod saepe dinosci nequit) tenens. Cohen, Faustine jeune 80. Suppl. 9. Iulia Domna 95—97. Orbiana 8. Salonine 73—75. Magnia Urbica 4. 10. e) eadem sedens. Cohen, Iulia Domna 111—113. Iulia Paula 9. Orbiana 7. f) eadem stans Amore addito. Cohen, Mamée 22 sq. 67. Salonine 80—82. 119—121. Magnia Urbica 11. g) eadem sedens addito Amore. Cohen, Lucille 90. Iulia Domna 107—110. 195—198. Geta 102. h) Venus stans cum sceptro, Amorem bracchio sustinens. Cohen, Faustine jeune 81. 223 sq. Suppl. 10.

[2]) eadem Felix nominatur: cf. Cohen, Iulia Domna 193 sq. Plautille 16.

[3]) sic in Faustinae minoris nummis Veneris Felicis cognomen additur deae sedenti modo clipeo Victoriaque insigni (94. 106 Cohen), modo Amorem gestanti (239—241), Genetricis in eiusdem Augustae nummis a) deae stanti pomo sceptroque insigni (80. Suppl. 9), b) deae stanti Cupidinem bracchio sustinenti (81. 223—224. Suppl. 10), c) stanti Veneri clipeo innisae Victoriamque in manu gestanti (95 sq. 225), d) eidem sedenti (Suppl. 15). porro in Lucillae nummis Genetrix audit dea clipeo innisa Victoriamque portans (78) et alia sedens pomo sceptroque insignis, ad cuius pedes Amor

diuersis cognominibus indui[1]) uideamus, ex his omnibus id mihi consequi uidetur, in indagandis Veneris Felicis, Victricis, Genetricis imaginibus a nummorum inscriptionibus omnino esse abstinendum. etenim cum superiore aetate haec cognomina uarias deae Veneris potestates et quasi prouincias significasse eamque ipsam diuersitatem sicuti cognominibus ita simulacris deae tum constitutis expressam fuisse consentaneum sit, ea aetate, qua nummorum imaginibus adscribere cognomina receptum est, haec ipsa Felicis, Victricis, Genetricis cognomina adeo in communem sensum migrauerant, ut iam non uariae deae formae sub singulis nominibus intellegerentur, sed quaelibet Venus modo Felix modo Victrix modo Genetrix adpellari et ex arbitrio eidem simulacro modo hoc modo illud nomen indui potuerit. itaque missis inscriptionibus solae ipsae nummorum imagines erunt ponderandae. atque cum in imaginis Bernoullianae indole nullum indicium uideam, quod Genetricem arguat, hanc adpellationem recte ei tribui minime exploratum mihi uidetur. sed ut uel hoc largiamur Bernoullio, posse hanc Venerem Genetricem intellegi, tamen ad Arcesilaum has statuas redire et argumentis caret et probabilitate. inter omnes enim quas in adnotatione composui Veneris imagines easque inter se sat diuersas, quibus in nummis imperatoriae aetatis Genetricis nomen adscribitur, nulla est, quam non pari iure ad Arcesilai statuam referas atque illam imaginem, quae in Sabinae nummis conspicitur. porro si staret Bernoullii opinio magnae esset offensioni deae Iuliorum Genetricis ab ipso Caesare primisque imperatoribus cum maxime obseruatae neque in nummis neque in aliis superioris aeui monumentis publicis ullum uestigium superesse, comparere in nummis eius imaginem CL fere annis

---

adstat (90). Julia Domna Victricem adpellat deam modo pomo sceptroque praeditam (98), modo galea palmaque conspicuam (114 sq. 199). alia id genus multa.

[1]) Venus stans clipeo innisa Victoriamque portans in nummis Faustinae minoris et Lucillae modo Genetrix audit (Faustina min. 95 sq. 225. Lucilla 78), modo Victrix (Faustina 227 sq. 242. Suppl. 16. Lucilla 29. 91); eiusdem sedentis imago eadem ratione ornata a Faustina modo Felix (94. 106), modo Genetrix (Suppl. 15) nominatur, a Crispina modo Felix (17 sq. 43), modo Victrix (20). neque aliter Venus stans pomo sceptroque instructa Juliae Domnae et Victrix audit (98) et Felix (104), eadem sedens Juliae Paulae et Genetrix (9) et Victrix (10). sed haec sufficere arbitror; nam eo fere res redit, ut omnibus Veneris imaginibus omnia cognomina in diuersis nummis addita reperiamus.

post, qua aetate Veneris Iuliorum Genetricis neque templum neque simulacrum iam ab ullo scriptore commemoratur. quod uero id inprimis ad suam opinionem Bernoullium adegit quod multitudo statuarum ad hanc similitudinem confictarum celebre aliquod opus subesse arguat, magis contra ipsum facere uidetur, cum nunc fere inter omnes constet plerasque earum statuarum, quae aetate Romana confectae nostras monumentorum conlectiones replent, ad exempla superioris aetatis maximeque eius quam ἑλληνιστικὴν uocamus redire.[1]) itaque cum ea uestimentorum tralucidorum arteque corpori adhaerentium fingendorum ratio, quae in illis Veneris statuis cernitur, iam in artis monumentis multo uetustioribus usu ueniat[2]) ipsumque illud inuentum, quo Venus pallii laciniam eleganti motu super umerum tollit, quin Arcesilao uetustius sit dubitari nequeat[3]), e Graeca aliqua statua et nummorum Sabinae imagines et statuas illas superstites originem ducere omnibus uidetur probabilitatis rationibus teneri. quod ut solus censeam tantum abest ut potius plerique iam uiri docti eandem sententiam amplecti uideantur. totum harum statuarum habitum Arcesilao compluribus saeculis antiquiorem aetatem arguere monuerat Fröhner[4]); erat qui de Praxitele cogitaret[5]) conlato loco Plinii[6]) 'duas fecerat [sc. Veneris statuas Praxiteles] simulque uendebat, alteram uelata specie, quam ob id praetulerunt quorum conditio erat Coi, cum eodem pretio detulisset, seuerum id ac pudicum arbitrantes'; qui etsi paullo incautius egit, tamen

---

[1]) cf. Helbig, Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 7—36. L. Friedländer, Sittengeschichte [5] III 251 sqq.

[2]) Helbig l. c. p. 35. Kekulé, arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III 22. Irin quae erat in fastigio Parthenonis (Michaelis, Parthenon tab. 6 J) iam eiusdem artificii initia monstrare me monuit H. Brunn.

[3]) Friederichs, archaeol. Anzeig. 1865, 64*. Bernoulli l. c. p. 96 sq. Fröhner, Terres cuites d'Asie Mineure pl. 22 (cf. Wieseler, Gött. gel. Anzeig. 1882, 254, unde mihi innotuit).

[4]) Notice de la sculpture antique du Louvre p. 167. Terres cuites d'Asie Mineure l. c. cf. E. Braun, Vorschule der Kunstmythologie p. 46: 'Die mütterliche Aphrodite wurde unter einem Typus verehrt, welcher aus den schönsten Zeiten der griechischen Kunst stammt, der aber bei seiner fast endlosen Wiederholung spätere Elemente in sich aufgenommen hat, so dass sich in ihm die verschiedenartigsten Empfindungsweisen abspiegeln.'

[5]) E. Brizio, Bullet. d. I. 1872, 104.

[6]) Plin. n. h. XXXVI 20.

nerum uidetur propius adpropinquasse, quam qui Arcesilaum operis auctorem praedicant. nullus enim dubito quin suo iure et ob σχῆμα elegantissimum et ob uestium pellucidarum artificium [1]) Alexandrinorum quod uocamus aeno quam maxime conuenientia huic aetati statuarum illarum originem adtribuerint Helbig Kekulé alii [2]). ipsae uero quae aetatem tulerunt statuae confectae uidentur, ut recte censuit Kekulé, eadem fere aetate qua Sabinae nummi, ita ut in procliui sit coniectura, eo tempore Graecum illud simulacrum, e quo et nummorum imagines et statuae superstites deriuandae uidentur, per Hadrianum, qui undique artis monumenta conquirebat, Romam transportatum esse moxque ita omnium animos in se conuertisse, ut pariter et statuariis et nummariis exemplo fuerit.

Iam pergendum est ad alteram coniecturam, quam de Arcesilai Venere nuper protulit Renardus Kekulé.[3]) cuius quidem disputatio etsi ita praestat Bernoullianae, ut comparari omnino non debeat, remque compluribus locis promouit, tamen totius dissertationis summa mihi non probatur. atque cum in examinanda Bernoullii opinione id ante omnia uituperauerimus, illam quae putabatur Arcesilai Venerem Genetricem CL demum annis post primum in monumentis comparere, eo longe uincit Kekuléi ratiocinatio, ut quae proficiscatur a monumentis Arcesilao Caesarique aequalibus. in nummis enim a. u. 710 a IIIIuiris monetalibus L. Aemilio Buca, M. Mettio, C. Cossutio Maridiano, P. Sepullio Macro cusis [4]) saepe conspicitur Veneris figura eodem semper habitu efficta [5]): stat dea laeua manu sceptrum siue

---

[1]) cf. Helbig, Untersuch. p. 265 sq.

[2]) Helbig, Untersuch. p. 35. Kekulé, arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III 21 sq. Wieseler, Denkm. d. alt. Kunst II p. 389.

[3]) Arch. epigr. Mitth. aus Oester. III 19 sqq.

[4]) de anni 710 denariis, qui ideo interpretibus difficultates parant, quod hoc anno non quattuor sed quinque uiros monetales fuisse docent, nuper luculenter disseruit A. de Sallet, commentat. in honorem Th. Mommseni p. 85 sqq., qui demonstrauit, primos quidem IIIIuiros fuisse L. Flaminium Chilonem, M. Mettium, L. Aemilium Bucam, C. Cossutium Maridianum; quorum cum L. Chilo (in cuius nummis haec Veneris imago non comparet) in ipso munere obiisset, in eius locum suffectus est P. Sepullius Macer, qui Caesari superstes etiam post eius mortem Antonium secutus eius caput nummis incudi iussit.

[5]) Cohen, méd. cons. pl. II Aemilia 14—16. pl. XVI Cossutia 3. 4. pl. XXVIII Mettia 3. 4. pl. XXXVII Sepullia 4—8.

hastam tenens, dextra paruam Victoriam gestans: ad pedes nonnumquam clipeus uel globus adiacet. in Sepullii denariis in ima hasta stella conspicitur.[1]) quae figurae etsi in minutioribus rebus ita differunt, ut nulla alteri prorsus par sit[2]), tamen idem omnibus exemplum subesse ea, quam in his monumentis adgnoscere didicimus, libertate immutatum atque uariatum Kekuléio concedendum est, neque negandum per se fieri potuisse. ut Veneris imago in nummis a. 710 conspicua cohaereat cum simulacro duobus annis ante in aede Genetricis dedicata. quod ut re uera ita esse nummorumque imagines ad similitudinem statuae ab Arcesilao confectae compositas demonstret, Kekulé ad Hadriani imperatoris nummos prouocat, in quibus nonnullis Veneris imagines conspiciuntur iis de quibus modo exposui consimiles. ac primum quidem in nummi huius imperatoris clipeati parte altera imago deae efficta est quae ita describitur[3]): 'ꝶ. VENERI GENETRICI Venus l., wearing stephane, tunic and peplum; she holds on r. hand Victory l., with wreath and palm, and rests l. on round shield ornamented with figure of Aeneas r., carrying Anchises and leading Iulus, beneath shield, cuirass and helmet: border of dots.' quo cum clipeo arte cohaerent duorum nummorum aureorum imagines, ita ab Henrico Cohen (Adrien 506 sq.) descriptae: 'ꝶ. VENERI GENETRICI Vénus debout de face tenant une Victoire qui porte un trophée et posant la main gauche sur un grand bouclier placé sur un casque: le bouclier est orné de la tête de Méduse et un sceptre repose sur son bras gauche.' quae ad Arcesilai simulacrum referenda esse Kekulé cum ob adscriptum Veneris Genetricis nomen, tum ob Aeneam Anchisem Iulum in prioris imaginis clipeo delineatos arbitratur. quod neutrum magni momenti esse mihi uidetur. nam de inscriptionum in denominandis nummorum imaginibus pretio supra adcuratius disputatum est, ita ut nunc breuiter adnotare liceat eandem Veneris imaginem, quam Genetricem nominat Hadrianus, in

[1]) in solis Sepullii, qui horum uirorum monetalium tempore est postremus, denariis et in imagine Veneris et post Caesaris caput stellam comparere satis mirum est neque ut uidetur a Salletio satis expeditum. quamquam de stella apotheosis Caesarianae cogitari temporum ratione uetamur.

[2]) grauissimum est quod in Aemilii Bucae denariis aliis (Cohen l. c. pl. II Aemilia 14. 15) Venus stans fingitur, in aliis sedens (ib. 16). quod in imagine ad statuae exemplum expressa satis mirum foret.

[3]) Catalogue of the Roman Coins in the British Museum. Roman Medaillons p. 5, 13.

nummis Faustinae minoris Lucillaeque modo Genetricem audire modo Victricem (u. p. 28. 1) et in ipsius Hadriani nummis (Cohen 504 sq.) Venerem et ipsam sceptro Victoriaque insignem, sed sedentem, Felicem nuncupari: quod Kekuléi ratiocinationi minime fauet. quod uero Kekulé ex Aeneae Anchisis Iuli figuris in clipeo Veneris fictis de origine totius imaginis aliquid conligi posse censet, uereor ne calidius progressus sit; in altero enim Hadriani nummo quem supra descripsi (Cohen 506 sq.) in clipeo solum Medusae caput conspicitur, in nonnullis Faustinae nummis, qui hanc eandem Venerem ostendunt, in clipeo modo Castoris et Pollucis (Cohen 96. 227. 242), modo lupae Romulum Remumque infantes nutrientis (Cohen 242, Suppl. 16) imagines comparent, qua re probatur ex his clipei signis ad arbitrium electis de ipsa imaginis indole nihil posse concludi. itaque sola restat harum imaginum cum iis cognatio, quae sunt in denariis anno 710 cusis. his uero Genetricem Venerem repraesentari sola coniectura nititur neque ea satis probabili, cum quisquis sine praeiudicata opinione nummorum imaginem perlustrauerit, nihil ei inesse debeat fateri, quod Genetricem indicet, sed esse Venerem Victricem siue *νικηφόρον*. neque hanc difficultatem de medio sustulit Kekulé dicens (l. c. p. 19): 'In jeder Form konnte Venus Genetrix genannt werden, da dieser Name an sich keine religiöse Potenz, sondern die Abstammung des iulischen Geschlechts bezeichnet und eben weil sie Genetrix ist, hat sie sich als Victrix erwiesen.' quae si de Hadrianea posterioreque aetate dicuntur, facile iis subscribo, de Caesaris tempore recte adfirmari praefracte nego. quid enim? cum illo tempore Victricis et, si me audis, Felicis quoque Veneris religiones imaginesque in urbem essent receptae Caesarque nouam deae aedem ut Genetrici et gentis suae et uniuersi populi Romani dedicaturus simulacrum eius artifici illius aetatis facile principi conficiendum tradidisset, num putas Arcesilaum hac deae indole, quam tum primus Caesar publica religione prosequebatur, plane neglecta eius simulacrum haud aliter composuisse, ac si Victricem Venerem fingere iussus esset? quod ut credam nullo modo possum a me impetrare. neque me commouet ea quam Kekulé instituit comparatio signi ab ipso e nummis reconcinnati cum Phidiae statua in Parthenone constituta, speciosior ea quidem quam aptior. nam etsi minime eo infitias imaginem in Hadriani nummis conspicuam cum Phidiaco simulacro, quale quidem nunc recuperauimus, aperte esse

cognatam eamque cognationem a uiro docto subtili elegantia esse expositam. tamen Arcesilaum Phidiae statuam imitatum fuisse mihi minime uidetur probabile. cum ille multo leuiorem delicatioremque artis rationem uideatur secutus esse, quam quem seueriora atque angustiora illa monumenta pro exemplis sibi posuisse ueri sit simile; quod probant reliqua quae feruntur eius opera, Centauri Nymphas gerentes et Amores cum leaena ludentes.[1]) itaque ne haec quidem obseruatio Kekuléi opinionem stabilire uidetur, cui facere non possum ut me addicam, praesertim cum ipsas illas nummorum imagines, e quibus uir sagacissimus profectus est, alia quoque ratione eaque magis probabili interpretari liceat. rem enim acu tetigisse arbitror Augustum Reifferscheid (qui hoc priuatis sermonibus mecum communicauit), cum Venerem quae cernitur in denariis anni 710 ad *γλύμμα* illud *Ἀφροδίτης ἔνοπλον* referendam esse uideret[2]), quod Caesarem — in anulo, ut uidetur — gessisse auctor est Cassius Dio (XXXXIII 43).[3]) qua coniectura probata omnia, ni fallor, expediuntur. nam armatam dici potuisse Venerem hasta clipeoque insignem consentaneum est, praesertim cum numquam Venerem ipsa arma induere notum sit.[4]) itaque fac signo anuli Caesariani ueluti symbolo dictatoris monetarios usos esse: iam et multo minus offensionis habebunt nummorum inter se discrepantiae — inprimis quod in Aemilii Bucae denariis modo stans fingitur Venus modo sedens — quia in sculpta imagine exprimenda liberius grassari potuisse nummarium patet quam in statua, et quicquid de Caesare Venerem *Νικηφόρον* uenerante traditur[5]) optime inlustratur. itaque ipsius Kekuléi (l. c. p. 19) uerbis 'das sind die Münzen, die offenkundig die siegverleihende Göttin der Schlachten von Pharsalus und Munda, für die beide Caesar die Losung Venus Victrix gab, verherrlichen' subscribere possumus, dummodo hanc a Genetricis imagine ab Arcesilao confecta diuersam fuisse concedatur (u. p. 23).

[1]) u. Brunn KG I 600 sq. Helbig, Untersuchungen p. 22 sqq.

[2]) quod idem et ipse subsenseram et, si recte eius uerba interpretor, uisum erat Eckhelio D. N. VI 8 sq.

[3]) Bernoulli l. c. p. 185 ad illud *γλύμμα ἔνοπλον* alteram Veneris Victricis imaginem, quae in Augusti aliorumque nummis occurrit (u. gr. Denkm. d. alt. Kunst II 272), referendam esse conicit; quod ipse retractat dicens: 'doch war die caesarische Victrix bei ihrer Verwandtschaft mit der Genetrix wahrscheinlich ganz bekleidet.'

[4]) F. Kenner, arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III 32.

[5]) Appian. b. c. II 68 sq. 76.

Examinatis ergo his duabus de Arcesilai simulacro opinionibus iam deinceps ad Augusti Reifferscheidii sententiam procedendum est, quam omnibus quae aut fauere aut contra facere uidebantur causis cum cura pensitatis facere non possum, quin omnibus probabilitatis, ne dicam ueritatis, rationibus commendari iudicem. ille igitur monumentorum Romanorum seriem conlegit et interpretatus est[1], in quibus comparet Venus habitu matronali conspicua, induta ea quidem tunica cincta pallioque longo, porro sceptro, diademate, Amore ad umerum sinistrum addito insignis, eamque ob seueriorem habitum Genetricis nomen sibi uindicare et ex ipso Arcesilai simulacro deriuandam esse ita demonstrauit, ut nec nouum argumentum addi possit et quae postea in uirorum doctorum notitiam peruenerunt monumenta eius sententiam omnia comprobauerint. quae cum plurimorum plausum tulerit[2], non tamen defuerunt qui inpugnarent uariisque argumentis infringere studerent.[3]) quam ob causam uniuersam quaestionem ita instaurare in animo est, ut monumenta quae huc spectant quantum quidem fieri potest omnia describantur enarrentur examinentur, argumenta contra Reifferscheidii sententiam a recentioribus prolata in censum uocentur atque redarguantur, postremo de ipsius simulacri ab Arcesilao confecti indole exemplisque ab artifice adhibitis paucis exponatur. qua in disquisitione sicubi causas a Reifferscheidio, cuius commentatione hanc meam dissertationem quasi fundamento inniti sciendum est, indicatas denuo expromere oportebit, eo minus noxae fore arbitror, quo magis ii qui contra Reifferscheidium disseruerunt in nonnulla eius placita inuehi satis habuerunt reliqua neglegentes. ac primum quidem haec monumenta uidentur recensenda esse:

A. imago quae est in altera parte denariorum intra annos 705 – 709 a M.' Cordio Rufo cusorum (Cohen, méd. cons. pl. XIIII Cordia 1. Denkm. d. alt. Kunst II 266[a]): stat Venus tunica pallioque ea quam modo dixi ratione induta, dextra libram, laeua sceptrum tenens; ad umerum sinistrum Amor paruulus conspicitur.

[1]) Annali 1863, 361 sqq.

[2]) A. Conze, die Familie des Augustus p. 11, Zeitschr. f. österr. Gymn. 1872, 859 sq. O. Jahn, Aus der Alterthumswissenschaft p. 297. Helbig, Untersuchungen p. 24. Michaelis, Gesch. d. deutsch. arch. Instituts p. 151.

[3]) Bernoulli l. c. p. 114 sq. Kekulé l. c. p. 13 sqq. Wieseler, Denkm. d. alt. Kunst II p. 394 sq.

B. anaglyphum basis Rauennae adseruatae, quod delineauit A. Conze, die Familie des Augustus (Halle 1867) tab. I, singulas figuras (a manu dextra ad sinistram progrediens) interpretatus Augustum Liuiam Tiberium Agrippam Iuliam, quem correxit Iulius Friedlaender agnoscens Augustum Venerem Caesarem Claudium Victoriam (?).[1] femina altero loco posita, quam Liuiam sub Veneris imagine effictam Conze, Friedlaender Venerem ipsam intellegit, nisi quod libra sceptrumque desunt consimilis est deae in M.' Cordi nummis conspicuae.

C. anaglyphum candelabri Solunte in Sicilia reperti (Serradifalco, Antichità della Sicilia V 39. cf. p. 65. Conze l. c. p. 10): miles barbatus lorica pallioque indutus et dextra hastam, laeua gladium tenens coronatur a Victoria ad manum eius sinistram adstante alata, longa ueste induta, palmam laeua manu gestante: ad alterum militis latus partim ab eo auersa mulier comparet longa tunica cincta pallioque amicta, in cuius umero sinistro Amor sedet, ad quem ipsa respicit.

D. anaglyphum in Mediceorum uilla adseruatum, quod ostendit faciem templi cuiusdam a M Aurelio, ut uidetur, imperatore conditi (Monum. d. Inst. V 40. cf. H. Brunn, Annali 1852, 338 sqq. Matz-Duhn, Antike Bildwerke in Rom n. 3511). in medio fastigio — sequor Brunnii interpretationem, quam addubitare aeque facile est ac corrigere difficile — imperatoris stantis conspicitur figura radiata, quem circumdant ad dextram Fortuna, dea Roma, Palatini collis deus, ad sinistram Venus amictu sceptro Amore iis quas modo uidimus consimilis, Anchises, Tiberis.

E. signum musei Taurinensis aeneum, delineatum a Clarac 632 D. 1293 A, quod ita describit Dütschke, Antike Bildwerke in Oberitalien IIII p. 105, 283: 'L. Standbein. Die Figur ist bekleidet mit Schuhen, langem gegürtetem Chiton und einem mit den Enden über den linken Arm zusammengeschlagnen Mantel, an dessen Saum die herabhängende Rechte greift. Auf dem welligen zurück-

[1]) Archaeol. Zeitung 1867, 110 sqq. cui adstipulati sunt C. Friederichs, Bausteine zur Geschichte der griechisch-römischen Plastik n. 806, O. Jahn, Aus der Alterthumswissenschaft p. 297.

gestrichnen Har ein mit eingravirten Blattern verziertes Diadem. Die L. hält die Hand eines kleinen auf die l. Schulter heraufgeflognen Eros, welcher mit der R. den Hinterkopf der Aphrodite berürt.'

F. anaglyphum arae Tarenti effossae, cuius notitiam benignae H. Brunnii admonitioni debeo; disputauit de ea ara Luigi Viola, Notizie degli Scavi di Antichità 1881, 388 sq., qui eam postea Florentiam perlatam esse docet, ubi nunc exstare negatur. itaque notam habemus e sola descriptione quam prodidit Carducci in adnotationibus ad d'Aquino, le delizie Tarentine p. 116: 'L'ara ha l'altezza di palmi tre ed un quarto e la larghezza di due con un festone di mirto che la cinge intorno nel lembo superiore, che nei quattro angoli termina in una testa d'ariete. Alle quattro facce ci sono quattro bassi-rilievi. Uno rappresenta appunto la Dea (Afrodite), che tiene la destra armata d'asta e con la palma sinistra stretta al seno sostiene il pomo, ed ha un amorino alato sull' omero sinistro in atto di porle in capo un serto di mirto. Nell' altro vien figurata la Vittoria in una giovane alata avente a destra una corona di frondi, ed a manca la palma. Gli altri rappresentano due sacerdotesse velate, di cui una sta nell' atto di versar sull' ara una patera di liquor sacro, l'altra non ben discernesi se tenga in mano un boccale da sacrifizio, per essere ivi logoro il marmo.' hanc deam, quam non ad quamlibet Graecarum fabularum Venerem sed ad deam a Romanis sub certa imagine obseruatam pertinere et locus anaglyphi in ara exsculpti et sacrificium deae oblatum euincunt, ad eam quam composui monumentorum seriem referendam esse, adparere uidetur e descriptione, quam tamen neque omnibus numeris absolutam esse patet — nihil enim de amictu Veneris dicitur — neque quantum ei fidei habendum sit scimus: itaque quae a reliquis monumentis aliena in hoc solo anaglypho comparent — dico malum in deae manu sinistra conspicuum coronamque myrteam ab Amore matris capiti inlatam — ad primariam deae effigiem reconcinnandam nisi cum omni cautione non erunt adhibenda; quam Carducci hastam dicit in manu deae sceptrum potius fuisse licebit suspicari.

iam hic paullulum subsistamus necesse erit. nam quae in his sex monumentis ad tempora satis diuersa pertinentibus neque ita inter se cohaerentibus, ut alterum ex altero deriuari possit [1]). conspiciuntur Veneris figurae ita inter se cognatae sunt, ut quin ad unum omnes exemplum redeant non uideatur posse in dubitationem uocari. primum enim omnes pari amictu spectabiles sunt: induta est dea longa tunica subter pectus cincta, qua totum corpus a collo ad pedes usque tegitur; cui pallium a tergo eadem semper ratione ita superiniectum est, ut a dextro latere ad sinistrum ductum inferiorem corporis partem tegat extremaque eius lacinia supra laeuum bracchium manumue demittatur. porro omnibus his monumentis communis est Amor umero sinistro additus diademaque, quod ubique cernitur, ubi aut ipsius monumenti aut delineationum adhuc in publicum editarum condicio subtilius examen patitur (A (?) BCE). quod uero pallii ductus non idem in omnibus monumentis est in nonnullisque Venus sceptro, quo reliqua ornantur, caret (BCE), his minime redarguitur omnes has imagines ex uno fonte fluxisse, quia neque artifices sine opifices ueteres tam arte exempla sibi proposita sequi solebant et, si modo conceditur statuae alicuius imitationem agnoscendam esse, per se consentaneum est, eam cum in anaglyphis cum aliis figuris coniungeretur aliquantum fuisse immutandam. qua ratione hoc quoque expeditur quod in duobus aliis anaglyphis huc spectantibus Veneris figurae comparent tunica, pallio, diademate, sceptro reliquis quas enumeraui compares, hac una re ab illis differentes, quod Amor deest. sunt uero

G. anaglyphum basis in Pamfiliorum uilla exstantis (Monum. d. Inst. VI. VII 76, 1—3. cf. U. Köhler, Annali 1863, 195 sqq. Matz-Duhn, Ant. Bildw. in Rom n. 3684). in quo Antoninum Pium imperatorem circumdant ab altero latere Roma dea Iunoque Lanuuina, ab altero Mars Venus Victoria aliaeque figurae ab hac disquisitione alienae. [2])

---

[1]) nam quod Kekulé dicit l. c. p. 17 'das für die zusammengehörige Reihe römischer Reliefs massgebende Monument könnte vielleicht das Relief von Ravenna selbst sein' haud multorum, opinor, plausum feret, cum singulas anaglyphi alicuius figuras aut in alia anaglypha translatas aut statuaria arte expressas esse neque per se sit probabile neque ullis, quod sciam, exemplis fulciatur.

[2]) quae in singularum figurarum interpretatione nouauit C. Purgold, Miscellanea Capitolina p. 22 sqq. et apud Matz-Duhn l. c. partim ad nos

H. anaglyphum arae Borghesianae (Monum. d. Inst. VI. VII 76, 4—5. cf. A. Reifferscheid. Annali 1863, 361 sqq.), ubi sacrificium publice offerri uidemus Apollini Herculi Victoriae Veneri.

iam ut eius operis, ad quod quasi ad communem fontem hae Veneris figurae recedant, tempus adcuratius definiamus, pleraque eorum quae recensui monumentorum Traiano Hadrianoque non sint antiquiora, cum G ad Antonini Pii, D ad M. Aurelii, ut uidetur, imperatoris aetatem pertineat, H ad Septimii fere Seueri tempora apte referatur neque CE uetustiora esse ueri sit simile.[1]) sed anaglypho illo Rauennate (B) ad ipsa Augusti tempora reducimur, atque adeo ad Diuum Iulium M'. Cordi Rufi denario (A). porro in ipsa Veneris figura cum offendat habitus adeo seuerus ac matronalis, ut, nisi Amor additus totusque figurarum conexus uerum indicaret, Venerem uix agnosceremus, talem statuam ex libero artificis arbitrio procreatam esse, qui sciret quanto minus figura omnibus uestimentis inuoluta spectantium animos capesseret quam dea nuda uel seminuda, a uero prorsus est absimile; immo haec imaginis condicio ea fere re sola expeditur, ut artifex singularem deae, quam fingere iussus erat, indolem hunc solum habitum decere intellexerit. quae cum eo ducant ut hanc Venerem Genetricem nuncupemus, hoc idem suadet, ne dicam cogit, Anchises huic Veneri additus in anaglypho Mediceo (D), qui certe multo clarius Genetricem indicat, quam Aeneae Anchisae Iuli fuga in clipeo Veneris nummi Hadrianei sculpta, ad quam prouocat Kekulé. sed de Iuliorum Venere Genetrice, quam dedicauerat Caesar confeceratque Arcesilaus, agi luce clarius anaglypho Rauennate demonstratur. nam cum hanc ipsam Venerem Genetricem a Caesare et Augusto insigniter pro dea gentilicia obseruatam esse constet (u. p. 23 sq.), si in monumento publico Iuliorum familiae dicato inter Augusti Caesarisque figuras Venus conspicitur, haec certe fieri non potest quin sit ipsa Genetrix gentis Iuliae dea e simulacro templi a Caesare conditi

non faciunt partim infeliciora uidentur. certe quod ille uir doctus deam quam nos Venerem dicimus Iunonem nuncupare uult, falsum est, cum iam adsit in eodem monumento Iuno Lanuuinae habitu efficta.

[1]) signum Taurinense (E) Traiani Hadrianique aeuo adtribuit F. Wieseler, Nachr. d. Götting. Gesellsch. d. Wiss. 1877, 683. certe antiquius non est.

efficta.[1]) atque huic deae quam unice conuenit, quod in compluribus anaglyphis (B(?)CFGH) ei sociatur Victoria, cum sciamus hanc ipsam Caesarianam Venerem Genetricem una cum Victoria obseruatam esse, ita ut eius ludi modo Victoriae Caesaris modo Veneris Genetricis audiant (u. p. 24, 1). denarium denique M.' Cordi Rufi (A) a reliqua monumentorum serie ad Arcesilai simulacrum spectante segregari ipsa imaginis cognatio uetat. quem nummum cum intra annos 705—709 cusum esse constet, Veneris uero Genetricis statua anno 708 in templo conlocata sit, huic ipsi aut insequenti anno hunc denarium adscribendum esse censebimus. quod nihil est quod impediat: nam cum olim Cavedoni[2]) ob rationes infirmas Cordium Pompei monetarium fuisse autumasset, recte eum recentiores non secuti sunt rogantemque per litteras benigne me monuit Alfredus de Sallet ipsam huius imaginis cum Venere in Caesaris nummis a. 710 cusis conspicua cognationem arguere Cordium et ipsum Caesaris partes secutum esse.[3]) libram denique, quae in manu Veneris conspicitur, recte explicauit Reifferscheid (l. c. p. 366)[4]) docens Cordium dictatori blandientem imagini Veneris Caesarianae libram dedisse, qua ratione monetam in eius tutela positam esse indicaret. — reliqua monumenta cum pleraque ad Antoninorum aeuum temporaque proxime sequentia pertineant, in iis Veneris Genetricis diu neglectae memoriam resuscitari is non mirabitur, qui sciat, quanto opere inprimis Antoninus Pius uetustas de origine populi Romani primisque eius fatis fabulas fouerit[5]): itaque cum a Venere et Anchise populum Romanum originem ducere omnibus esset decantatum, ut hanc Venerem Romanorum parentem in monumentis publicis

[1]) his nihil derogatur siue figuram — ut supra feci — cum Friedlaendero Venerem, siue — quod et ipsum fieri potest — cum Conzio Liuiam sub Veneris imagine latentem interpretaris: nam Liuia quoque ad solam Genetricis Caesarianae formam fingi poterat. uide etiam titulum Hispaniensem CIL II 2038 = Wilm. 906, ubi Liuia 'genetrix orbis' uocatur, et gemmam Petropolitanam infra p. 40 J recensitam.

[2]) Cavedoni ad Borghesi, Oeuvres II 269, 3. contra cf. Mommsen, Münzw. p. 657 n. 557.

[3]) hoc ea quoque re insigniter commendatur, quod M'. Cordium Rufum Augusto regnante praeturam aliosque honores gessisse docet titulus Tusculanus Orelli 3142 = Wilm. 1781. cf. Borghesi, Oeuvres I 267 sqq.

[4]) reliquorum commenta suppeditabit F. Wieseler, Denkm. d. alt. Kunst II p. 394 sq.

[5]) cf. Eckhel D. N. VII 28 sqq.

repraesentaret, eam formam elegit, qua iubente Caesare ab Arcesilao erat efficta atque ita in anaglypha GDH haec figura recepta est. neque hoc aeuo multo antiquiora sint opera CE, de quorum origine certiora definiri nequeunt. — iam si recte haec monumenta ex Arcesilai simulacro ut communi omnium fonte deriuaui, alia exstant artis opera quae ad idem exemplum ea ratione ficta uideantur, ut, quamuis ea et ipsa Arcesilai statua quasi fundamento niti pateat, tamen liberius illius uestigia premant illiusque inuenta ex arbitrio immutata ostendant. quod in imagine celebri usu uenisse neminem mirum habebit. atque huc quidem haec monumenta[1]) pertinere uidentur:

J. gemma Petropolitana, mihi quidem e sola Conzii (Familie des Augustus p. 10) mentione nota, qua ostenditur Liuiae caput superiorque corporis pars, uestita ea quidem, sed ita, ut altera pectoris pars pateat; ad umerum sinistrum Amor conspicitur.

K. statua marmorea Vindobonensis conlectionis Modena (Arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III tab. I cf. Kekulé ibid. p. 8 sqq.).

L. signum aeneum olim Parisinum, nunc Tolosanum. Clarac 632 D, 1293 B.[2])

---

[1]) anaglyphum arae qua XII di repraesentantur Parisinae (Clarac 171, 18, cf. Fröhner, Notice de la sculpture antique du Louvre n. 2) huc omnino non pertinet, cum Amor inter nudas Veneris Martisque imagines pectore tenus expressas ad dextrum deae latus compareat ad solumque furtiuum amorem subindicandum additus sit.

[2]) sub marginem addere placuit statuarum nonnullarum marmorearum recensum, quae cum paruulae omnes magnitudinis nuper in ipsa Graecia repertae et e solis adhuc uirorum doctorum descriptionibus notae sint, dubitare possis, utrum per uarias ambages ex ipso Arcesilai simulacro fluxerint an e uetustiore aliqua statua, quam fortasse Arcesilaus imitatus sit; sed cum omnes uideantur Romana aetate confectae, illud ueri multo est similius. cum monumentis supra examinatis hoc iis commune est, quod similiter uestitam Venerem fingunt Amoremque eius umero modo dextro modo sinistro addunt, ipsa uestimentorum dispositione ualde differunt. iam singulas statuas uide:

a. statua Gythii Laconiae reperta nuncque Spartae adseruata. descripsit A. Milchhöfer, Mitth. d. deutsch. arch. Inst. in Athen II 324, 34: 'Auf dem r. Bein ruhende Figur in hochgegürtetem Aermelchiton mit Achselbändern: über Rücken, Unterleib und Beine weites Gewand, das auf der l. Seite der Figur den Hintergrund bildet. Der r. Arm war in die Hüfte gestemmt, der l. im

quibus operibus cum monumentis antea recensitis communis est praecipue Amor eadem ratione umero sinistro additus. contra differunt habitu minus matronali, cum pallium aut desit aut ornamenti magis quam tegumenti uice fungatur, altera pectoris pars nuda sit, tunica soluta eumque in modum tenuis, ut quasi

rechten Winkel erhobene Arm zog den weiten Mantel empor. Der Kopf war nach l. (vom Beschauer) zurückgeneigt und blickte nach r., wo hinter ihrer (l.) Schulter sich ein kleiner Eros befand, dem zwei am Rücken befindliche flache Ansätze (die reliefartig angedeuteten Beine) angehören.'

β. statua Chaeroneae reperta Atheniensis. descripsit G. Körte, Mitth. d. d. arch. Inst. zu Athen III 405, 186 (cf. L. v. Sybel, Katalog der Sculpturen zu Athen n. 399): 'Aphrodite steht mit r. Standbein an einen Baumstamm gelehnt, auf welchen sie den l. Arm aufstützt. Sie ist bekleidet mit einem auch über den Hinterkopf gezognen Gewand, welches vorn den Oberkörper bis zum Ansatz der Scham frei lässt; der Zipfel desselben fällt über das ein wenig vorgesetzte l. Bein herab. Der jetzt fehlende r. Unterarm war senkrecht erhoben, die Hand fasste nahe dem Kopfe die Falten des Gewandes zusammen. Der l. Arm ist innerhalb des Gewandes; die graziös nach innen gebogene Hand fasst den Saum desselben. An ihrer r. Schulter bemerkt man das r. auf dem Baumstamm aufruhende Bein mit dem glutaeus eines Knaben (Eros). Der Oberkörper des Eros scheint weit vorgebogen gewesen zu sein und mit den Händen den Kopf der Mutter berührt zu haben.'

γ. statua Atheniensis. descripsit v. Sybel l. c. n. 985: 'Statuette der Aphrodite auf Plinthe, linkes Standb., Hand auf die Hüfte gesetzt, r. Fuss etwas zurück; geknöpfte Halbärmel, hochgegürteter Rock, auf der l. Schulter geöffnet, lässt l. Brust frei: Mantel um die Schultern und über das r. Bein gehängt, vorn zwischen den Beinen herabfallend; das andere Ende von der l. Schulter lang herabhängend. Hinter ihrer l. Schulter hängt kleiner Eros; Linke fasst über die Schulter herüber an ihr Gewand.'

δ. statua Atheniensis. descripsit v. Sybel l. c. n. 3150: 'Statuette der Aphrodite mit Eros, r. Standbein, dünner anliegender Rock, lässt l. Brust frei, Mantel um l. Arm geschlungen, um Rücken und Beine, mit Wulst, über l. Oberschenkel gehängt, zur Linken steht der Stumpf eines runden Schaftes auf Sockel; war Linke darauf gestützt? Hinten an l. Schulter hängt kleiner Eros.'

de quibus quamuis ex sola descriptione diiudicare nolim, tamen cur ex Arcesilai simulacro deriuari nequeant non uideo. alia non satis adcurate describuntur, quam ut num huc pertineant perspici possit. cf. v. Sybel l. c. n. 2838. Wieseler, Abhandl. d. Götting. Gesellsch. d. Wiss. XVIIII 93 n. 18.

madida corporis formas exprimat. hae simulacri primarii immutationes quomodo ortae sint gemmae Petropolitanae (J) imagine inlustratur, quae docet Veneris Genetricis simulacrum paullo minus seuere effictum ad repraesentandas augustas domus Iuliae feminas adhibitum esse. quod fortasse in Vindobonensem quoque statuam (K) cadit. qua non ipsam Venerem, sed sub eius effigie humanam mulierem (fortasse unam ex feminis domus Iuliae imperatoriis[1]) siue Iuliam siue Octauiam sicuti Froehnero, qui hoc roganti per litteras mihi significauit, uisum est) indicari suspicatur Reifferscheid, quod mihi ualde adridet. quamquam hoc nisi ipsa statua examinata diiudicari nequit.[2]) sed etiam si ipsa Venus agnoscenda sit, de ratiocinatione nostra nil mutetur, dummodo ne recte Kekulé Alexandrinorum quod uocant aeuo hanc statuam confectam esse censuerit. quod secus esse mihi quidem persuasum est. compluria enim in hac statua coniunguntur inuenta, quae in aliis operibus singula conspiciuntur: uestis enim tralucidae rationem (a) iam in illa statuarum serie, quam a Bernoullio perperam Arcesilao uindicari, re uera autem ad Alexandrinam aetatem spectare uidimus, deprehendimus, Amorem umero additum (b) ipsa haec monumenta, quae nos ad Arcesilaum referre studemus, ostendunt; quod denique Venus illa Vindobonensis paullulum reclinis poste innititur (c), recte Kekulé in comparationem uocauit (l. c. p. 23) eas statuas, quas Euterpes figuras sine iusta causa dicere consueuimus.[3]) qua coniunctione inferioris aetatis artem argui exploratum uidetur. quod cum fugere non potuerit uirum doctum uereor ut satis expediuerit dicens: 'Man könnte also an eine absichtliche Combination dieser beiden Typen (a, b) denken und dann als das Attribut der fehlenden linken Hand den Apfel vermuthen, welchen die Venus auf der Münze der Sabina hält. Aber das Motiv der Wiener Gruppe macht einen zu frischen und selbständigen Eindruck, um eine solche äussere Zusammenfügung zu sein, es ist zu momentan, um ein schablonenhaftes Attribut zuzulassen und die Verwandtschaft mit

[1]) Iuliae Veneris nomen adtribuitur in nummo Graeco, Pergami ut uidetur percusso, qui in altera parte *ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ* in altera *ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ* ostendit. Mionnet, descript. de méd. II 594, 542 = Imhoof-Blumer, Portraitköpfe auf röm. Münzen tab. I 10.

[2]) qua in re capillaturae inprimis ratio habenda est. de qua cf. Fröhner, Musées de France p. 4 sq.

[3]) recensum exhibet Bernoulli, Aphrodite p. 128 sqq.

einem dritten viel verbreiteten statuarischen Typus widerräth die Wiener Gruppe zu spät zu setzen: ich meine den Typus der an einen Pfeiler angelehnten sog. Euterpefiguren.' quo ultimo argumento quo modo Kekulèi opinio fulciatur non satis me intellegere fateor, cum certe illa quam in statua Vindobonensi deprehendimus complurium inuentorum conglutinatio ipsis singulis inuentis debeat esse recentior. an quis arbitrabitur Euterpes quae uocantur figurarum dispositionem e signo quale est illud Vindobonense deriuandam esse? his ego rationibus ductus tenendum esse censeo. statuam Vindobonensem opus esse artificis Arcesilao haud multum recentioris eoque consilio confectam, ut Arcesilai aliorumque statuariorum inuentis, quae ante in singulis simulacris singula conspiciebantur, apte eleganterque in unum consociatis nouum crearetur artificium. ceterum hanc eandem complurium inuentorum coniunctionem in signo Tolosano (L) agnoscimus, in quo cum Amore umero addito amictuque pleniore consociatur σχῆμα illud, quod e Medicea Veneris statua cognatisque signis notum est; adcuratiora de hoc signo e sola Claracii delineatione noto disserere uereor ne incauti esset. — iam unum restat monumentum idque ineditum, quod etsi Venerem ostendit ab iis quas adhuc inlustraui haud mediocriter diuersam, tamen a nostra disquisitione minime alienum est, cum et ad aetatem statuae Arcesilai proximam relatum cum omni iure sit et sententiae nostrae fulcrum haud mediocre adferat.

M. anaglyphum arae, quae olim erat in oppido Cività Castellana, ubi uiderunt et H. Brunn et A. Reifferscheid. descripsit Reifferscheid, Annali 1863, 367 sq.: 'uidemus in opere anaglypho ab eximio artifice confecto militem a Victoria coronari. ille libat super aram deis ante se positis. primus est Mars lorica et casside pennis cristata ornatus, d. hastam gerit, s. tropaeum portat. Martem sequitur Venus corpore superiore usque ad femora nuda, uestimenti quo reliqua corporis induta sunt lacinia super s. humerum demittitur; d. etiam ipsa hastam, s. rem gerit, quae nunc certo internosci nequit, potest tamen galea esse. super humerum autem sinistrum Cupido ita apparet, ut sinistro brachio innitatur humero matris eamque adspiciat; etiam Venus ad eum caput conuertit. tum Volcanus pileo et amictu (dextra enim pectoris pars patet) agnoscitur, d. malleum tollit, s. longam facem, quae accensa est, in

terram demittit. animum eum ad ea quae Venus agat aduertere manifestum est. a dextra eius incus conspicitur, cui forceps inposita est. opus desinit in bucranium taeniis, non uittis ornatum.'

quod anaglyphum inuictis usus argumentis Reifferscheid (l. c. p. 368. cf. Nuove memorie d. I. p. 463 sq.) rettulit ad templum Martis Ultoris a. 752 ab Augusto ad forum suum conditum[1]), aduocans uersus Ouidii (Trist. II 296):

uenerit in magni templum, tua munera, Martis:
stat Venus Ultori iuncta, uir ante fores.[2])

itaque in illo templo Venerem, ut conueniebat deae cum Marte coniunctae, Victricis habitu uulgato, qualem multae imagines superstites ostendunt, effictam fuisse anaglypho docemur; Victricem uero cum minus deceat Amor umero innisus, huius rei expediendae ueram rationem iniit Reifferscheid monens in condendo eo Veneris simulacro, quod erat in Ultoris aede constitutum, artificem id egisse, ut simul spectantibus in mentem reuocaret alteram eiusdem deae imaginem longe celeberrimam, qualis ut gentis Iuliae mater atque patrona in aede Genetricis colebatur, eamque ob causam Victricis quoque deae umero Amorem addidisse.

Iam ipso monumentorum recensu absoluto superest, ut ea quae Kekuléio contra Reifferscheidianam sententiam facere uisa sunt examinentur atque redarguantur. ac primum quidem Kekulé Veneris imaginem, cuius umero Amor fuerit adiunctus, iam ante

[1]) cf. Becker, Topographie p. 371 sq. Mommsen CIL I p. 393.

[2]) l. c. p. 368 sq.: 'quibus poeta statuas in aede Martis Ultoris quam Augustus in foro suo dedicauit significat. itaque in dubium non uocari puto quin haec ara Marti Ultori sacra sit imaginesque deorum statuas ab Augusto positas referant. iam in aede Martis Ultoris uictorem illum militem sacrificare non mirabitur, qui quo consilio hanc aedem dedicauerit Augustus memoria repetet. refert enim Cassius Dio 55, 10 uerba quibus imperator eam consecrauit. cum ea librariorum culpa principio careant Suetonii testimonium in uita Diui Augusti 29 hic perscribere praefero: „aedem Martis bello Philippensi pro ultione paterna suscepto uouerat; sanxit ergo, ut de bello triumphisque hic consuleretur senatus, prouincias cum imperio petituri hinc deducerentur, quique uictores redissent huc insignia triumphorum conferrent".' ceterum num hic recte uersus Ouidiani adlegentur dubitat Bernoulli l. c. p. 165, 2, ut fere solet in rebus certis aut omni probabilitate conspicuis. qui quanta cura iudicioque rem egerit optime eo inlustratur quod in eadem pagina a. 237 Veneri et Marti aedem Romae conditam esse a Liuio XXII 9 tradi adfirmat, cuius testimonii nec uola nec uestigium exstat, cum de solo lectisternio sermo sit.

Arcesilaum Romae notam celebremque fuisse inde ait elucere, quod iam in nummis anno 708 uetustioribus talis imaginis indicia compareant, prouocans et ad denarios ipsius Caesaris ante annum 706 cusos[1]) et ad nummos C. Egnati Maxsumi ad annos 673—685, ut uidetur, pertinentes[2]), in quorum aduersa parte Veneris caput comparet, post quod Amoris paruuli pars superior conspicitur. neque uero hi nummi idonei uidentur, quibus Kekuléi suspicio fulciatur, cum et id aduersetur, quod in iis ipsis ad quos Kekulé prouocat Caesaris nummis Amoris caput modo ante Venerem modo post eam conspicitur, neque omnino recte Kekulé harum imaginum rationem uideatur interpretatus esse, cum typorum in aduersa alteraque nummorum parte expressorum diuersa sit ratio. in altera enim denariorum parte cum totas figuras siue unam siue complures excudi solitum esset, si quando eaedem imagines aduersae parti adhibendae erant, ita erant circumcidendae, ut primariae figurae caput effingeretur, reliquae per compendium indicarentur: quod idem in nummos aeneos cadit, in quibus, cum omnes prorae signo percussi sint, totis figuris exprimendis non satis est spatii, sed compendia tantum imaginum patiuntur. itaque cum in denariorum a uariis Memmiis cusorum parte altera saepe expressa sit Venus biga uecta et ab Amore uolante coronata, haec imago ita in breuius contrahitur in eorundem uirorum nummis aeneis[3]), ut ad proram efficta sit Veneris caput, ante quod Amor uolat coronam gerens. atque cum gentis Iuliae Egnatiaeque denarii et ipsi ostendant in parte altera deam biga uectam et a Cupidine paruulo coronatam[4]), si in parte aduersa Veneris caput addito Amore comparet, hoc nihil aliud esse arbitrabimur nisi illam uulgatam

[1]) Cohen, méd. cons. pl. XX Iulia 11. 12. cf. Eckhel D. N. VI 5 sq. Borghesi, Oeuvres I 495 sqq.

[2]) Cohen, méd. cons. pl. XVII Egnatia 1. cf. Mommsen, Münzw. p. 613, 247.

[3]) Cohen, méd. cons. pl. LVIIII Memmia 1—3. cf. Mommsen, Münzw. p. 549, 153. 575, 202. denarios uide apud Cohen l. c. pl. XXVII Memmia 2. 3.

[4]) Cohen l. c. pl. XVIIII Iulia 2. XVII Egnatia 1. in nummo Egnati utrum Venus an Libertas agnoscenda sit non est prorsus exploratum; sed hoc ad nos nihil pertinet, cum eam non a Victoria, sed a puero coronari testetur Mommsen, Münzw. p. 613, 247[a] atque ita non uideatur diuersa esse ab ea dea, cuius caput comitante Amore in parte aduersa comparet: quae fortasse et ipsa Libertas est.

imaginem in compendium redactam. itaque his nummorum imaginibus nihil est rei cum illa monumentorum serie, quam nos ad Arcesilaum rettulimus. — quod porro Bernoulli (l. c. p. 114 sq.) eumque secutus Kekulé monuerunt (l. c. p. 17 sq.), hanc imaginis dispositionem, qua Amor parte corporis post deae umerum eminens fingitur, non aeque omnibus monumentorum generibus conuenire multoque minus statuis aptam uideri quam anaglyphis atque adeo picturis maximeque iis quae ad clipei formam compositae sint, id recte dici minime eo infitias. quid uero, si hoc idem in reliquis quoque Arcesilai operibus — dico leaenam ab Amoribus domitam Centaurosque Nymphas gerentes — animaduersum est ab Helbigio sincero iudice, cuius ipsa uerba (Untersuchungen p. 22 sq.) adscribere iuuabit: 'Versuchen wir diese Angaben mit erhaltnen Denkmälern in Beziehung zu setzen, so gedenken wir bei dem Bericht über die von Eroten umspielte Löwin unwillkührlich dreier Mosaike, von denen eines aus Pompei stammt, welche einen Löwen in einer ganz entsprechenden Situation darstellen und werden wir durch die Kentauren, welche Nymphen tragen, an die wundervollen Malereien verwandten Inhalts erinnert, welche sich in Pompei in der sog. Villa des Cicero gefunden haben. Dürfen wir vermuthen, dass diese Mosaike und Wandbilder irgendwie durch die Gruppen des Arkesilaos bedingt und etwa Reproductionen derselben sind? Erwägen wir unbefangen den Character jener Compositionen, so ist die, welche das von Eroten umspielte Raubthier darstellt, von Haus aus jedenfalls geeigneter durch die Malerei als durch eine Marmorgruppe zur Darstellung gebracht zu werden und drückt die in den Mosaiken geschilderte Situation, die Bändigung eines Löwen durch Eroten, den Gedanken in natürlicherer Weise aus als die Gruppe des Arkesilaos, in der statt des Löwen eine Löwin auftrat. Die Composition der pompeianischen Wandmalereien ist von solcher Kraft und Ursprünglichkeit und dabei so echt malerisch, dass die Annahme, sie seien aus den Sculpturen des Arkesilaos übertragen, vollends ganz unzulässig scheint. Unter solchen Umständen scheint die Frage berechtigt, ob nicht die plastischen Gruppen des Arkesilaos einerseits und die Mosaike und Wandmalereien andererseits von einander vollständig unabhängig, aber beide durch gemeinsame Originale angeregt sind. Nach Inhalt und Auffassung wäre es das Nächstliegende, den Ursprung dieser Originale in der Malerei der Diadochenperiode

vorauszusetzen. Und wenn, wofür alle Wahrscheinlichkeit spricht, der Toreut Akragas in diese Periode gehört, so bezeugen uns seine beiden Skyphoi, auf denen Kentaurinnen und Bakchantinnen ciselirt waren, dass die damalige Kunst ähnliche Stoffe darstellte, wie sie von Arkesilaos plastisch und in der pompeianischen Villa malerisch behandelt wurden.' quae cum omnem scrupulum euellant non habeo quod addam.

Postremo superest ut de ipsius Arcesilai statuae et dispositione et exemplis quae inuestigari potuerunt paucis complectamur. ac uestitam fuisse deam tunica usque ad pedes demissa subterque pectus cincta, qua totum corpus tegebatur, et pallio a tergore ita iniecto, ut pars eius a dextro corporis latere ante crura ad alterum latus traheretur extremaque eius lacinia supra bracchium sinistrum demitteretur, monumentorum consensus docet; neque de sceptro sinistrae manui addito (ADF(?)GH) aut de diademate (A(?)BCEH) dubitare licebit. Amor uero qua ratione fuerit deae adiunctus non aeque perspicuum est, cum certe anaglypha hac in re ipsius statuae habitum non prorsus adcurate reddant, qui immutandus fuit ad peculiares quibus anaglyphorum ars tenetur leges. certe errat Bernoulli (l. c. p. 115) de Amore in Veneris umero sedente loquens, cum dicendus fuerit Amor post deam in poste conlocatus bracchiisque matris umero innisus: talem enim quotquot ad hanc seriem pertinent statuariae artis monumenta (EKL $\alpha\beta\gamma\delta$) ostendunt, quorum in eiusmodi quaestione principalis est auctoritas. in ea re, quod Amorem ad sinistrum deae umerum fingunt, omnia monumenta (praeter β) consentiunt. totum igitur matronalem habitum Genetrici Veneri unice conuenire negari nequit [1]). Amoremque umero additum [2]) optime me iudice interpretatus est Reifferscheid (l. c. p. 366) ita: 'deinde uero Cupidinem felici inuento ab Arcesilao in eundem plane modum additum uidemus, quo in artis antiquae monumentis cum Paride, quem ad amorem incitet, coniunctum uidemus. ut igitur Paridem in illis, ut Helenam Oenonae praeferat, instigat, ita secundum Arcesilaum Veneri Anchisae amorem commendat, quo Aeneae mater facta est Martiamque gentem condidit.' quae interpretatio cum iusto subtilior uisa sit Kekuléio, neglexisse

[1]) quod concedit Bernoulli l. c. p. 115.

[2]) ceterum non neglegendum est Amore addito in seueriore totius statuae indole opus fuisse, ut omnino Venus agnosceretur.

uidetur uir doctus, cum in aliis Romanae aetatis monumentis prorsus simili ratione Venerem Anchisemque Amoribus additis coniungi[1]), tum in anaglypho Mediceo (D) ipsi huic Veneri Genetrici Anchisem adsidere. neque totam statuae indolem ab Arcesilai arte alienam esse censebimus, cum inuenti totius elegantiam statua Vindobonensis, quamuis uestimento differat, satis declaret. sed uniuersam simulacri dispositionem prorsus nouam ab Arcesilao excogitatam esse neque suspicabitur quisquam in artifice eius aetatis quae tota uersatur in excutiendis superioris aeui exemplis neque desunt artis monumenta Arcesilao uetustiora, quae Amorem eundem in modum Veneri adiunctum ostendunt; quibus congerendis bene meriti sunt et Helbig (Untersuchungen p. 24, 2) et Kekulé (l. c. p. 14 sqq.), quamquam non uidentur omnia recte distinxisse. tria enim monumentorum huc pertinentium genera uidentur esse discernenda; primum uolantem ostendit Amorem prope Veneris umerum saepeque obuiam fit in anaglyphis uasorumque picturis[2]); quod quin ab hac disquisitione omnino excludendum sit nullus dubito, cum haec Veneris Amorisque coniunctio prorsus fortuita sit. contra ad nos faciunt duo alia monumentorum genera, in quorum altero Amor in ipso deae umero consedit, altero post deam in poste conlocatus bracchiis matris umero innititur. e quibus prius genus in minoribus artis operibus haud raro occurrit[3]), alterius,

[1]) uide u. gr. anaglyphum figlinum Arch. Zeit. 1847 t. I et discum aeneum Paramythiae in Epiro repertum (Millingen, anc. uned. monum. II 12 = Denkm. d. alt. Kunst II 293). quam usitata illo tempore fuerit Veneris Anchisaeque ut parentum populi Romani coniunctio docet u. gr. Horat. carm. IIII 15, 32; carm. saec. 50.

[2]) u. gr. Michaelis, Parthenon tab. IIII 25. Museo Chiaramonti I 36. Overbeck, Bilderw. des troisch. Sagenkr. X 4. XXVI 12. Denkm. d. alt. Kunst I 175 al.

[3]) haec enumerare placet:

a. statua parua marmorea quae utrum huc pertineat an ad monumenta p. 40 sq. a nobis recensita non prorsus patet e descriptione Wieseleri, Abhandl. d. Götting. Gesellsch. XVIIII 93, 18: 'Bei dem deutschen Gesandten Herrn v. Wagner [Athenis] sah ich an Antiken eine vor kurzem gefundene Statuette der Aphrodite mit (nach alten Spuren ergänztem) Eros auf der l. Achsel. Kopf modern, schöne Gewandung aus der besten Zeit.'

b. signum terra cocta effictum Bonnense. Arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III tab. II 1. cf. p. 12 sq. (Kekulé).

quod unum iure cum Arcesilai simulacro confertur, certa exempla in solis picturis parietariis repperi hisce:

a. Helbig, Wandgemälde n. 327 = Overbeck, Bildw. d. tr. Sagenkr. t. XV 8.
b. Helbig l. c. 826 = Annali 1866 tav. d'agg. EF, 1.
c. Helbig l. c. 276 = Museo Borbonico XI 6 (a).
d. Helbig l. c. 1428 = Mus. Borb. XI 6 (b).[1])
e. Helbig l. c. 1005 — Mus. Borb. XI 3.

quo uide quam luculenter inlustrentur Helbigii uerba, quae supra laudaui, demonstreturque, quod ille de duobus aliis eiusdem artificis operibus posuit, idem in Veneris Genetricis statuam cadere, scilicet in Amoris Veneri adiungendi ratione et picturas parietum et Arcesilai simulacrum pendere e picturis aeui Alexandrini.

VI Sed iam tandem Caesaris Venere relicta ad proxima tempora pergamus. quo pertinere uidetur Victricis Veneris religio e fastis Arualium Amiterninisque nota, qui VII Id. Octob. in Capitolio sacrificari testantur Genio Publico, Faustae Felicitati, Veneri Victrici. ubi animaduerte Felicitatis cum Venere coniunctionem, quae haud secus in Pompeiana Venere Victrice occurrebat originemque — si me audis — duxit e Sullanae Veneris Felicis religione.[2]) templum uero Veneris Victricis Capitolinum non diuersum esse a templo Veneris Capitolinae Augusti Galbaeque temporibus a Suetonio commemorato cum omni ueritatis specie coniecit Th. Mommsen[3]), quoniam antiquum

c. statua eiusdem materiae Berolinensis. Panofka, Terracotten des Kgl. Museums zu Berlin tab. 23.
d. protome terrae coctae. Gerhard, Antike Bildwerke tab. 18.
e. f. g. capita eiusdem generis tria. Millingen, anc. uned. monum. II 19, 1; 20. Campana, opere in plastica 11.
h. uasis Attici pictura. Denkm. d. alt. Kunst II 296[d].
i. anaglyphum aeneum Vindobonense, si modo antiquum. Sacken, die antiken Bronzen d. k. k. Antikenkab. in Wien tab. 46, 3.
k. ornamentum aureum antecedenti consimile. Fröhner, Musées de France tab. 35, 4.

[1]) qua imagine refellitur Kekulëi (l. c. p. 12) opinio Amorem hac ipsa ratione aliis feminis praeter Venerem non adiungi. hic enim ancilla addita mortalem mulierem indicat.

[2]) de Felicitatis templo Capitolino cf. Becker, Topographie p. 310. Mommsen, CIL I p. 403.

[3]) CIL I p. 403.

illud Veneris Erucinae templum Capitolinum (u. p. 9) mox inclarescente altera illa Erucinae aede ad portam Collinam sita uidetur abolitum esse aliudque in Capitolio Veneris fanum conditum esse nusquam traditur. iam e Suetonii testimonio patet Venerem illam Capitolinam primo imperatoriae aetatis saeculo singulari honore usam esse, cum Liuia ibi dedicauerit pronepotis (Germanici erat filiolus) praematura morte absumpti effigiem Amoris habitu expressam Galbaque monile pretiosissimum, quod ad ornandam Fortunam suam Tusculanam ex omni gaza secreuerat, quasi augustiore loco dignum Capitolinae Veneri sacrauerit.[1]) quodsi tecum reputaueris in nummis imperatorum qui sunt ab Augusto ad Hadrianum unam solam Veneris imaginem eiusque Victricis conspici, etsi non certa tamen omnibus numeris probabilis oboritur suspicio, hanc ipsam esse Veneris illius Victricis Capitolinae imaginem: nam ad statuae alicuius exemplum hos nummorum typos sculptos esse et ipsa imaginis indoles docet et quod sine ulla maiore differentia eadem semper comparet: stat Venus sinistro bracchio columna ita innisa, ut a tergo dextroque corporis latere conspiciatur; inferior corporis pars pallio tegitur superioribus nudis relictis; dextra galeam tenet, sinistrae hasta addita est; ad columnam interdum clipeus adiacet.[2]) quae imago cum etiam in gemmis permultis compareat[3]), ad exemplum haud incelebre eam redire patet neque cogitare licebit nisi de statua, cum ex ampliore siue anaglyphi siue picturae alicuius ambitu singulas figuras exemptas et per nummos gemmasque expressas esse a probabilitate abhorreat, quod recte uidit Bernoulli (l. c. p. 187); statuam uero Veneris Victricis illa aetate Romae inclutam praeter Capitolinam nullam scio. unus restat scrupulus, qui non fugit Bernoullium neque tamen de medio ab eo est sublatus, dico miram imaginis conlocationem, qua a tergo aut potius a dextro latere dea conspicitur. quod cum e solis artificis nouorum inuentorum cupidi rationibus cum

[1]) Suet. Calig. 7. Galba 18.

[2]) Cohen, méd. impér. Auguste 72. 73. Tite 69—71. 118. Iulie, fille de Tite 5—7. Domitia 1. quibus adde Augustarum Hadriano iuniorum nummos Sabinae 33, Faustinae minoris 82, Crispinae 19. posteriore tempore imago ita immutata est, ut in locum hastae palma succederet: uide nummos Iuliae Domnae 99—103. 114. 115 et Saloninae 88. 89.

[3]) quas multas citant Bernoulli l. c. p. 185 et Wieseler, Denkm. d. alt. Kunst II p. 410 sq.

Bernoullio[1]) explicare spinosum sit, fortasse in aede Capitolina Venus non sola erat efficta, sed Marti coniuncta. quod non plus offensionis haberet quam Venus Marti Ultori in ipsius templo adiuncta.[2]) quae coniectura et obliquum imaginis statum explicat et galeae hastaeque, quas dea tenet, iustam interpretationem suppeditat, cum certe Venus haec arma non sit ipsa indutura sed Marti traditura.[3]) — reliquas Veneris Victricis imagines in imperatorum nummis obuias nuper diligenti disquisitione inlustrauit F. Kenner[4]), qui recte ab hac quam modo examinaui imagine alteram eamque iuniorem segregat, quae ostendit deam clipeo innisam, sed a facie conspicuam: singula uero huius imaginis exempla eum in modum inter se discrepant, cum dea hasta, palma, galea, malo, Victoria paruula aliisque signis promiscue utatur, ut statuae alicuius imitationem subesse minime sit probabile. quo accedit quod, ut uidimus in Genetricis Felicisque imaginibus, etiam Victricis nomen mox cuilibet Veneri additur, quae nihil in se habeat deae uictricis: quod non nummorum solum imagines probant[5]), sed statua quoque marmorea Salonis reperta, quae totam nudam ostendit Venerem Amore ad pedes adstante, ita ut nisi titulus basi insculptus omnem dubitationem profligaret, Venerem Victricem nemo agnosceret.[6]) — postremo

---

[1]) l. c. p. 187: 'Was den übertragenden Künstler bewogen hat, den Gegenstand von einem sonst nicht gewöhnlichen Standpunkt aufzunehmen, ob gewisse Eigenthümlichkeiten des Originals oder sein subjectiver Geschmack, darüber haben wir keine Meinung.'

[2]) cf. p. 43 sq. etiam in Pantheo Martis Venerisque statuae conlocatae erant (Cass. Dio LIII 27). quodsi igitur Helbig (Untersuch. p. 26 sq.) notas Martis Venerisque coniunctorum statuas e simulacris in templo Martis Ultoris propositis deriuare uult, hoc pro incomperto erit relinquendum, cum illo tempore haec coniunctio frequentissima fuerit.

[3]) haec ipsa Venus, quam nummi ostendunt, Marti coniungitur in gemma, quae est teste Wieselero in A. Gorlaei Dactyliotheca c. explic. I. Gronovii P. I n. 84 Wieseleroque suspecta uidetur. sed miram deae conlocationem omni offensione carere, dummodo ad dextram altera figura addita sit, docet gemma quae est Denkm. d. alt. Kunst II 272b, ubi ad dextram Veneris ei de qua commentamur consimilis Amor adstat.

[4]) Arch. epigr. Mitth. aus Oesterr. III 30 sqq.

[5]) u. Cohen, méd. impér. Iulia Domna 98 (dea sceptro pomoque insignis), Numérien 69, Magnia Urbica 3, Valeria 1—10 (ea Venus, quae Genetrix audit in nummis Sabinae).

[6]) Denkschriften der Wiener Akademie VII 2 tab. 4, 7. cf. p. 38 sq. (Lanza); ibid. I 313 (v. Arneth). CIL III 1964.

hoc iuuabit adnotasse, imperatoria aetate Veneris Victricis religionem Romae ac per Italiam raram fuisse uideri. contra frequentissimam per prouincias: Romae enim, quantum scio, Victricis Veneris mentionem unus ille titulus continet, quem ad theatrum Pompei repertum esse supra commemoraui [1]), per Italiam Siciliamque repertos noui duos, quorum alter ualde suspectus [2]); creberrima autem deae mentio est in titulis prouinciarum Hispaniae, Daciae, Dalmatiae, Pannoniae, Galliae cisalpinae [3]): cuius rei causa in aperto est, cum Venus Victrix bellorum triumphorumque dea sit, bella uero sub imperatoribus non per Italiam sed ad fines imperii gererentur.

VII Iam cum ex temporum ordine porro prosequimur Veneris imagines, in imperatorum nummis usque ad Hadrianum ea sola, de qua modo exposuimus, Venus Victrix deprehenditur. ipsius uero Hadriani nummi duas ostendunt deae imagines, alteram stantis [4]), sedentis alteram [5]), inter se satis similes, cum utraque deam repraesentet Victoriam paruulam in manu portantem sceptroque (sine hasta) insignem; stanti clipeus quoque adiacet; cognomen priori generi adscriptum est Genetricis, alteri Felicis. ac de priore imagine, in qua stans dea Victoria clipeo hasta ornata conspicitur, cum iam supra sim commentatus nihilque huic imagini rei esse demonstrauerim cum Arcesilai Genetrice, pauca iam supersunt quae addam. nam cum Kekulé hisce Hadriani nummis recte comparauerit denarios a. u. 710 a Caesaris monetariis cusos neque sit ueri simile, Hadrianum horum nummorum typos suis nummis expressisse, fortasse nummorum Hadrianeorum imagines statuae alicuius similitudinem referunt, quam imperator et signo illo Caesariano et aliis uetustioribus exemplis adhibitis conficiendam curauerit: nam cum nummorum imagines Venerem procul dubio ad exemplum Mineruae Virginis a Phidia effictae dispositam ostendere Kekulé demonstrauerit, haec cum maxime Hadriani sicut in litteris ita in arte uetusta inprimis sectantis

[1]) CIL VI 785. cf. supra p. 21. — CIL VI 756 consulto omisi.

[2]) Orelli 1375 (Tiferni Umbriae), Henzen 5679 (Paternò Siciliae; qui num genuinus sit iure dubitat H. Jordan apud Preller, Röm. Myth. I 442, 2).

[3]) CIL II 23. 470. III 864. 1115. 1797. 1964. 1965. 2770. 2805. 3160. 4152. 4167. V 2805. 8249.

[4]) Cohen, méd. impér. Adrien 506 sq. A Catalogue of the Roman Coins in the British Museum. Roman Medaillons p. 5, 13.

[5]) Cohen, méd. impér. Adrien 504 sq.

sensui conueniunt. unum caue conicias hanc statuam ad celeberrimam quam Hadrianus condidit Veneris Romaeque dearum aedem[1]) pertinuisse. cum illas statuas sedentium dearum fuisse testetur Cassius Dio (LXVIIII 4). eo magis est probabile, alteram quae in Hadriani nummis occurrit Veneris imaginem sedentis Victoria sceptroque ornatae ad simulacri in hoc templo constituti exemplum esse expressam. praesertim cum uel e paruulis nummorum typis adpareat. quam bene haec seuera augustaque imaginis dispositio colosseam statuam decuerit. quae opinio ea quoque re fulcitur. quod Romae deae imaginem huic Veneri consimilem — nam haec quoque dea sedens repraesentatur et Victoria hastaque insignis — complures Hadriani nummi ostendunt[2]). quam et ipsam ex illo templo deriuare in procliui est. sed cum de Romae imaginibus[3]) peculiari commentatione exponere in animo sit, haec indicasse nunc quidem sufficiat.

Ultra Hadriani tempora Veneris simulacra historiamque persequi nec nolumus nec. si liberet. multum nos inde profecturos spes est. nam scriptorum testimonia iam aut nulla exstant aut minus idonea et. quibus antea ueluti ducibus usi sumus, nummorum typi nos deserunt, cum eum in modum grassari coeperit nummariorum licentia, ut e permultis quae occurrunt Veneris imaginibus uix una alteri compar sit. sed ita inter se uarient. ut ad statuae alicuius dispositionem recuperandam nullius iam sint pretii nisi aliis adfluentibus subsidiis. quae quamuis non omnino deficiant. tamen nunc usui non iam sunt reclusa. cum imperatoriae aetatis monumenta sacra. anaglypha inprimis basium atque ararum. quae plurima per Italiae glyptothecas exstant. eum in modum neglegi soleant, ut pleraque ne descripta quidem sint. nedum edita atque enarrata. quibus si quando. quod sperandum est. melior lux adfulserit, fortasse etiam de Veneris per inferiora saecula et imaginum et religionis historia non iam omnia ignorabimus.

[1]) de hac aede cf. Eckhel D. N. VI 510 sq. Becker, Topographie p. 444. ceterum hanc Venerem fuisse Genetricem quo iure e Cassio Dione LXXI 31 conligat Preller. Röm. Myth. I 445. 1 ego non uideo.

[2]) Cohen. méd. impér. Adrien 385—389. 391 sq. 460. 722 sq. 1032 sq. 1093 sq.

[3]) de quibus uide quae disseruerunt Zoega. Bassirilievi antichi I 141 sq. A Senckler. Jahrb. d. Vereins v. Alterthumsfr. im Rheinlande XIIII (1849) 74 sqq. F. Kenner. Sitz.-Ber. d. Wien. Akad. XXIIII (1857) 253 sqq. C. Purgold. archaeol. Bemerk. zu Claudian und Sidon. p. 24 sqq. A. Kluegmann, l'effigie di Roma nei tipi monetarii più antichi, Roma 1879.

Sententiae controuersae.

I. Medeae Ouidianae fragm. 2 Ribb. (= Senec. suas. 3, 7) ita corrigendum est: 'feror huc illuc ceu plena deo.'

II. Apud Tertull. de anima 30 legendum est: 'harenae seruntur, saxa panduntur (codd. 'panguntur'), paludes eliquantur.' cf. Liu. XXI 37, 3.

III. Donati ad Terenti Phorm. II 1, 4 scholion sic emendandum est: 'an quia tarde ad seruum (codd. 'suum', uulgo 'ipsum') peruenit senex'.

IIII. Epigramma Anthologiae Salmasianae 177 R. mutata distinctione sanandum est ita:

> Placat busta patris iugulata uirgine Pyrrhus
> dilectasque litat Manibus inferias.
> sors noua nymphigenae! uotum post fata meretur,
> quam pepigit thalamis, hanc habet in tumulis.

V. Anaglyphi glyptothecae Monacensis 301[a] interpretatio quam protulit E. Petersen (archaeol. epigraph. Mittheil. aus Oesterr. V 41, 76) stare nequit.

VI. Palladis Atheniensium Poliadis πέπλον eius similem fuisse, quo induta est Mineruae statua Dresdensis (Denkm. d. alt. Kunst I 36), falso creditur.

Ceruimontii

ex officina typographica ‚Bote a. d. Riesengebirge'.